Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Chyträus Simon Pauli Lucas Bacmeister Wolfgang Peristerus

ORATIO=||NES, IN PROMO=||TIONE DOCTORVM THE=||OLOGIAE.|| D. Lucae Backmeisteri, professoris || Theologiae in Academia Rosto=||chiensi, et || D. Wolgangi Peristeri, Superin=||tendentis Ecclesiarum in dioecesi || Suerinensi: et caeterorum can=||didatorum, recitatae:|| A || DAVIDE CHAYTRAEO, et || SIMONE PAVLI,|| Theologiae DD.|| Anno 1564:|| Additae sunt PROPOSITIONES || publicè disputatae, et ritus || Promotionis.||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1564

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1788511085

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

K

D. Chytraeus et S. Pauli.
R. U. theol. 1564.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1788511085/phys_0001

ORATIONES, IN PROMOTIONE DOCTORVM THEOLOGIÆ.

D. Lucæ Backmeisteri, professoris Theologiæ in Academia Rostochiensi, &
D. Wolgangi Peristeri, Superintendentis Ecclesiarum in diœcesi Suerinensi: & cæterorum candidatorum, recitatæ:

A

DAVIDE CHYTRÆO, &
SIMONE PAVLI,
Theologiæ DD.

Anno 1564:

Additæ sunt PROPOSITIONES publicè disputatæ, & ritus Promotionis.

Ex Bibliot. Academ. Rostocka

RU theol. 1564 Chytraeus, David

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1788511085/phys_0003

CLARISSIMO VIRO, ERVDITIone, sapientia, & uirtute præstanti, D. ANDREÆ MYLIO Illustriß. Princip. Megapol. Consiliario, Domino suo & patrono colendo. S. D.

VT Dei throno, sapientiam & iustitiam, Mundi gubernatricē, assidue adstare, Demosthenes inquit: ita Regum & Principum thronis, Consiliarios, sapientia, uirtute & doctrina præstantes assistere utile est: quorum prima cura sit, ut uera religio & iustitia, Principū solijs assideat: ac ut Principes & Respub. summo Principi, Domino nostro Iesu Christo seruiant, & Ecclesiæ Christi domicilia & templa sint. Tales consiliarij, uerè sunt cōmunia Ecclesię & Reipublicæ bona, & preciosissimi Regum ac Principum thesauri. ut uerissime dixit Isocrates, Σύμβολος ἀγαθὸς κοινὸν ἀγαθόν, βασιλικώτατόν τε καὶ χρησιμώτατον ἁπάντων κτημάτων ἐστί. Pertinet autem ad curam Principum & Consiliariorum, præcipue etiam Scholarum, quæ ueræ religionis & iustitiæ doctrinam custodiunt & propagāt, constitutio salutaris & inspectio diligens.

Cum igitur iam continuos duodecim annos, eximia & singularis Excel. T. erga hanc scholam, & erga nos priuatim, beneuolentia & fides, explorate nobis perspecta & cognita fuerit: agnoscimus nos perpetuam Excel. T. gratitudinem & reuerentiā debere. Ac ut qualiscūq; etiam animi grati significatio extaret: Orationes & Descriptionem rituū proximæ renunciationis Doctorum Theologiæ, Excel. T. nomini clarissimo potissimum inscribere uoluimus. Et reuerenter petimus, ut tenue hoc & exiguum obseruantiæ nostrę testimonium Excel. T. non aspernetur. Bene & feliciter Vale.

ORATIO DE STVDIO THEOLOGIÆ CVM OMNIBVS CÆTERARVM ARTIum ſtudijs coniungendo: Habita in promotione Doctorum Theologiæ.

SChola ſapientiæ, bonitatis, & omnipotentiæ Dei eruditiſſima & dulciſſima eſt uniuerſum hoc pulcherrimum naturæ rerum theatrum: admirandus ordo & ſeries omnium Mundi corporum: faſtigium cœli aſtrorum luminibus diſtincti & ornati: Sol fons lucis & caloris uitalis: Luna certis uicibus lumen à Sole recipiens: ratæ & immutabiles, cum admirabili incredibiliq; certitudine & conſtantia, motuum Solis, Lunæ & reliquarum ſtellarum Leges, quibus temporum uices, & dierum, menſium ac annorum ſpatia definiuntur. Deinde in hac inferiori regione Aeris natura & impreßiores: Terræ ſitus & fœcunditas: Plantarum, arborum, herbarum, florum uarietas, pulchritudo & uires: Animantium naturæ, propagatio & ſpecierum perpetuitas miranda, deniq; homo ipſe μικρόκοσμος, & ſingula-

rum corporis humani partium constructio, figura, uires, & actiones certis usibus destinatæ. Et notitia de Deo & de uirtute, & principia ac semina Legum & artiũ, mentibus humanis insita, & insculpta: quæ non modo esse Deum, sed etiã qualis sit, & quales nos esse uelit, demonstrant. Hæc omnia cum aspicimus et consideramus, fateri cogimur, & esse Deum, mentem æternam, sapientem & omnipotentem, huius pulcherrimi operis architectatricem & conseruatricem, & adesse eum huic suo operi, et nos huic architecto subiectos esse, & mores nostros cum ipsius uoluntate cõgruere oportere. Etsi autem, nullum, hac misera & corrupta hominum natura, pulchrius decus, & admirabilius, hac Philosophica Dei & operum ipsius ac uirtutum notitia & cultura, habet: tamen multo maior & eruditior ac sublimior Schola mirandæ sapientiæ & bonitatis ac misericordiæ Dei erga nos inenarrabilis, est patefactio doctrinæ à Deo inde usq; ab initio post conditum genus humanum, supra & extra humanæ rationis conspectum, clara uoce & illustribus testimonijs traditæ, de uera agnitione essentiæ & uoluntatis diuinæ, non modo in notitijs Legis naturæ insitis, quæ obedientiam erga Deum iuxta præscriptum & normam Legum flagitant & sceleratis pœnas denunciant, reuelatæ: uerum multo magis in Euangelio seu promissione gratuitæ misericordiæ

ricordiæ & reconciliationis cum Deo & uitæ ac gloriæ æternæ propter Christum donandæ.

Hæc doctrina ex sinu æterni patris per Filium prolata, & Prophetarum ac Apostolorum libris comprehensa, præcipua & propria Ecclesiæ Dei sapientia, & summus ac precioſißimus in toto genere humano thesaurus est, ad quem asseruandum & propagandum Ecclesiæ & Polttiæ omnes in primis conditæ sunt. Et per solam hanc doctrinam à nobis auditam, lectam & cogitatam, Deus ueram sui agnitionem, iustitiam, uitam & salutem æternam, deniq; seipsum nobis communicat & impertit. Seueriſßime etiam præcipit, & propoſitis ampliſßimorum bonorũ promiſßionibus, ardentiſßimo amore, omnes homines, ad huius doctrinæ studium & meditationem aſßiduam muitat.

Pro hoc ingenti & inenarrabili beneficio, quod te nobis tradita certa LEGIS & EVANGELII doctrina patefeciſti, & miniſterium docendæ & propagandæ in Templis & Scholis doctrinæ tuæ inſtituiſti, & per hoc miniſterium docendi, lucem ueræ agnitionis tui, remiſßionem peccatorum, & æterna bona nobis impertis: Pro his inquam summis & immenſis beneficijs, toto pectore tibi æterne & uiue Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Christi, gratias agimus: Teq; ſupplicibus uotis pre-

camur, ut lucem tuæ doctrinæ in hac Ecclesia & Academia ſerues: Cumq; uera Dei ſcientia in Homine eſſe non poßit niſi Deo ipſe docente percepta: tu nos Deus, Spiritu ſancto tuo doceas & gubernes, ut te recte agnoſcamus, & in hac uita ac omni æternitate pijs laudibus celebremus.

Vtitur autem Deus in docendis & regendis ad æternam ſalutem hominibus, miniſterio Doctorum fidelium, quos in Scholis præparari, & erudiri, & eorum Doctrinam ac mores explorari uult, & publico teſtimonio Eccleſiæ commendari.

Grauiſſime igitur à maioribus conſtitutum eſt, ut in Templo ac Eccleſia filij Dei, renunciatio Doctorum Euangelij publica fieret, ut de Deo authore & conſeruatore Doctrinæ & miniſterij Doctorum, per quos æterna Eccleſia & hæreditas ex humano genere, Filio Dei colligitur, commonefacti, ardentibus uotis ab eo lucem Doctrinæ ſeruari, & nos doceri ac regi petamus. Voluerunt & orationem aliquam ſeu admonitionem Deo gratam & iuuentutis ſtudijs ſalutarem adiungi.

Cum itaq; mihi nunc, hoc in loco, de more publico, dicendi partes datæ ſint: decreui in præſentia, non quidem de doctrinæ Theologicæ dignitate & præſtantia orationem habere (Id enim Argumentum lon-

longißime uirium mearum tenuitatem superat) Sed de parte aliqua rationis studiorum recte instituendæ, admonitionem utilem, & ad omnes in studijs literarũ uersantes pertinentem recitare. Monebo enim & hortabor adolescentes, ut studium Theologiæ seu Religionis & pietatis Christianæ, in quocunq; Doctrinarum & uitæ genere uersentur, semper cum cæteris studijs coniungant: & uelut nocentißimam studiorum & pietatis Chrinianæ pestem, uoces eorum fugiant, qui ad solos Sacerdotes seu ex professo Theologos futuros, lectionem sacrarum literarum relegant.

Cum enim non soli Sacerdotes, sed omnes omnium ordinum homines, ideo præcipue conditi & redempti sint, ut DEVM recte agnoscant & celebrent, sicut se in uerbo seu doctrina à se tradita patefecit: certe nulli erunt, qui homines, præsertim Christiani, & non Epicureæ beluæ, palam à cœlesti & diuina origine sua degenerantes, perhiberi uolent, qui non in assequendo & obtinendo fine, ad quem & initio eos DEVS creauit, & deinceps per FILIVM redemit, aliquam studiorum & uitæ suæ partem esse impendendam iudicabunt.

Quodcunq; igitur studiorum iter Adolescentes ingrediantur, siue ministerio Ecclesiæ, siue Iu-

risprudentiæ, siue arti Medicæ operam dent, siue in Philosophico ocio, aut in negocio Reipublicæ uersentur, sciant se Deo conditori suo hoc officium debere, ut non modo honorem summum habeant sacris literis & Theologiæ studiosis, uerum etiam quotidie, ex uiginti quatuor horis, quas partim quieti, partim alijs laboribus uel ocio tribuunt, unam certe horam, Domino Deo suo, & doctrinæ cœlesti seu Theologiæ audiendæ & discendæ destinent. Vt enim Plato in Menexeno inquit πᾶσαν ἐπιστήμην χωριζομένην δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργίαν ὁ σοφίαν φάναι εἶναι, ita uerissime dicimus, πᾶσαν ἐπιστήμην χωριζομένην θεολογίας καὶ τῆς εὐσεβείας ἀληθοῦς, ἐχθρὰν σοφίαν εἶναι omnem doctrinam & scientiam, nisi cum Theologia & pietate uera sit coniuncta, non ueram & solidam sed odio dignam sapientiam esse. Nihil de ullius doctrinæ uel professionis dignitate decerpo, sed omnes artes, quas Philosophia continet, & quarum custodia & propagatio Scholis commendata est, uelut eximia dona Dei, & uitæ humanæ præsidia & ornamenta præcipua ueneror & amo: & ad singulas, suo ordine, recte & solide discendas, studiosos adhortor. Verum hoc affirmo, inter omnes doctrinas & Artes, quæ Dei concessu & munere hominibus tributæ sunt, nullam præstantiorem & ommbus cognitu

nitu magis necessariam esse ea doctrina, quæ fini, ad quem conditus est homo, immediate seruit: & ad quam, uelut ad ultimum & summum finem cæteræ artes & uitæ genera omnia referuntur: quæq; & certum præsidium est uitæ præsentis & aditus est ad æternam salutem. Atqui sola hæc Doctrina, quam Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, ex patris æterni sinu prolatam, Ecclesiæ tradidit, hæc inquam sola finem hominis uerum, uidelicet uerum Deum, & ueram Dei agnitionem & celebrationem, & cultus ipsi placentes, monstrat: & huic ultimo fini assequendo uel tuendo, omnia reliqua uitæ genera, & artes omnes, præcipuè seruiunt.

Ideo Regna & Politiæ diuinitus institutæ sunt et conseruantur, ut sint tranquilla hospitia & templa regni Christi, in quibus uera de Deo & Domino nostro Iesu Christo doctrina latè propagari, & erudiri ac instituì iuuentus ad Christi agnitionem & pios mores possit. Ideo in ciuitatibus Homines consociati & uinculis Legum, iudiciorum, contractuum, coniugiorũ deuincti sunt, ut inter se alij alijs ueram Dei notitiam communicare, & suæ confessionis de Deo ac uirtutum exempla ostendere queant. Ad hunc finem ars Politica, consilia gubernationis Reipublicæ, ad normam Legum, quæ Iustitiæ & tranquillitatis pub-

licæ custodes sunt, dirigit, & controuersias ciuium iure & legibus dirimit, ut in Politia honesta & tranquilla, ueri Dei notitia late propagetur, & Ecclesiæ Christi pie regantur & floreant. Ars Medica non tantum testimonia & uestigia Dei plurima in natura corporis & animæ humanæ, & cæteris animantibus, ac infinita uarietate herbarum, & uirium quas singulis Deus attribuit, impressa, considerat: & sola fere, quicquid ueræ & eruditæ Philosophiæ naturalis adhuc reliquum est, intra suos fines possidet: uerumetiam ualetudinem & uitam hominum tuetur & prorogat, propter hunc finem, ut in longiore uita, ueram Dei notitiam, & aliarum rerum bonarum doctrinam, usu confirmare, & augere, & latius spargere ac propagare possimus. Nihil dico de inferioribus artibus, de Grammatica, quæ literas agnoscere & coniungere & legendi rationem docet, præcipue ut libros sacros, quibus uera de Deo doctrina contimetur, legere possimus. Deinde uim & significationes uerborum ac phrasium & figurarũ in singulis linguis tradit, præcipue ut natiua sermonis diuini sententia dextre & perspicue enarrari queat. Rhetorica dicendi artem profitetur. Ideo autem hominibus linguæ & orationis beneficium ac dicendi facultas præ cæteris animantibus à Deo tributa est, non ut maledictis certemus, uel fabellas

amato-

amatorias recitem⁹, aut de contractibus opum cumulandarũ causa colloquamur: Sed ut de Deo & uirtutũ Deo placentiũ officijs & alijs rebus bonis ucra perspicue dicere, et synceram de Deo doctrinam alij alios docere, & uera inuocatione prædicatione & laudibus pijs Deum celebrare possimus. Dialectica Methodum discendi & docendi in Theologia & omnibus cæteris artibus informat. Linguarum cognitio uelut ianua & clauis est ad fontes doctrinæ cœlestis aditum aperiens. Astronomia & Physica post Christianam Theologiam, omnium maxime illustria sapientiæ & bonitatis diuinæ testimonia continet, sicut usitatissimæ & omnibus notæ sententiæ testantur.

Clara Dei sapientis opus sunt lumina cœli.
Præsentemq; refert una uel herba Deum.
Exemplũq; Dei quisq; est in imagine parua &c.

Sic omnes artes & omnia uitæ genera, ministræ & ancillæ sunt doctrinæ de deo, & ad hunc finem sua ministeria & operas referre debent, ut Theologiæ seruiant.

Omnis etiam sapientia & uirtus humana, expers Theologiæ & pietatis ueræ, similis est trunco corporis humani, caput non habenti. Itaq; ut uere Lactantius ait, Omnis doctrina & uirtus Philosophorũ sine capite est: Quia Deum nesciunt, qui est uirtutis & doctrinæ caput. Deum

Deum autem recte agnoscere nemo potest, nisi Deo ipso per uerbum suum docente. Ex hoc igitur uerbo, seu Doctrina Filij Dei, tanquam ex perenni et augusto fonte salutis, sciamus sapientiam & uirtutem ueram præcipuè hauriendam esse, non ex Philosophicis Ethnicorum literis: tametsi hæ suo loco & prudenter adhibitæ multum ueræ Theologiæ adferunt subsidij & ornamenti.

Minime uero conuenit prætextu & nomine illarum inani, à uero & principali studiorum fine, animos teneros, in Epicuræam prophanitatem & contemptum pietatis & doctrinæ Christianæ abduci & efferari.

Satis enim superq; negocij habent & uix magnis certaminibus se in amore religionis & pietatis ueræ retinent, imo à Deo retinentur, qui assidua uerbi diuini tractatione, & precibus ad Deum ardentibus, quotidie ad eam contendunt. Multo maius periculum est illis, qui uana sapientiæ & eruditionis persuasione, & arrogantia, ambitioneq; stulta & religionis ueræ contemptu in hac tenera ætate imbuti, omnem discendæ ex concionibus & lectionibus sacris, ueræ Theologiæ & pietatis Christianæ curam uelut indignam sua grauitate & sapientia, penitus abijciunt & despicatui ducunt. Hæc Epicuræa prophanitas, præsertim eximiæ sapientiæ & eruditionis

specie

ſpecie fucata, ubi ſemel teneros animos inſecit, diffi-
cilime iterum in tota reliqua ætate elui poteſt.

Quare ſapientiſſimam ueteris uerſiculi ſen-
tentiam ſibi ſubijciant adoleſcentes, Ἀρχὴν ἰᾶσθαι
πολὺ λωΐον ἢ τελευτᾶν, *& principijs ob-*
ſtent. Ac ſciant ſe, eam præcipue ob cauſam, Ho-
mines à Deo conditos, & per Filium Dei redemptos
eſſe, ut Deum conditorem, & Filium ipſius Domi-
num noſtrum Ieſum Chriſtum recte agnoſcant, inuo-
cent, & omnibus uitæ officijs colant, iuxta normam
doctrinæ à Deo ipſo in literis ſacris patefactæ.

Omnes igitur, qui hominis præſertim Chriſtiani
appellationem tueri cupiunt, & imprimis omnes bo-
narum literarum ſtudioſi, ſingulis diebus, toto uitæ
ſuæ tempore, primitias ſuorum ſtudiorum Deo con-
ſecrent, & quotidie aliquid temporis perlegendis or-
dine libris diuinitus traditis & piæ meditationi uel
auſcultationi doctrinæ cœleſtis tribuant. Non enim
ad ſolos Sacerdotes & miniſtros Eccleſiæ publicos
uerum ad totum genus humanum pertinent ſeueriſſi-
ma Mandata Dei, quæ iubent doctrinam filij Dei,
diligenter & attente audire, legere, diſcere, meditari,
crebro repetere, fide amplecti & ſedulo propagare.
Nota eſt uox æterni Patris de cœlo ſonans ad totum
genus humanum iubens omnes audire filium de uera

Dei

Dei agnitione & inuocatione & reconciliatione cum Deo ac æterna hominum salute concionantem.

Nec Archippo tantum & cæteris Colossensium sacerdotibus, sed omnibus membris Ecclesiæ præcipit Paulus, ut Verbum Christi habitet in eis opulente cum omni sapientia. Quæ uoce primum Christi doctrinam ab omnibus alijs artibus & doctrinis Paulus discernit. Multi enim notitiam Dei & uirtutum, nobiscum nascentem & in Philosophia euolutam & illustratam: ad ueram Dei agnitionem & regendam uitam sufficere existimant. Nec aliam sapientiam in doctrina Ecclesiæ maiorem proponi arbitrantur, quam Philosophiam seu præcepta de moribus, quæ à Platone & Aristotele multo concinnius, ut uidetur, & artificiosius ac elegantius distributa & explicata sint, quam in libris Propheticis & Apostolicis, quos ineruditum, agreste & barbaricum genus scriptorum esse blasphemè iudicant. Etsi autem Philosophiam & artes, quæ ex luce illa nobiscum nascente extruuntur, agnoscimus esse radios sapientiæ diuinæ in nostras mentes transfusæ: tamen longe aliud & sublimius doctrinæ genus est, quod supra & extra rationis humanæ conspectum, longe supra Philosophiam & Leges positum, CHRISTVS in VERBO à se tradito patefecit, de uera agnitione Essentiæ & uoluntatis

Dei

Dei in promissione reconciliationis reuelatæ, de causa peccati, calamitatum & mortis humanæ, de remissione peccatorum & abolitione mortis & restitutione iustitiæ & uitæ æternæ propter filium Dei dominum nostrum Iesum Christum pro nobis crucifixum & resuscitatum. Nec aliter uult à nobis agnosci, inuocari & coli Deus, quam sicut se in hoc uerbo per Christum tradito agnosci & coli præcepit. Quod cum per Prophetas & Apostolos literis mandari & certis libris comprehendi uoluerit: necesse est eos libros à nobis legi, audiri, disci, & ex illis solis, uera de Dei essentia & uoluntate sententiam sumi. Quod igitur alibi Paulus iubet attendere lectioni, .h. attente & assidue libros cœlestes legere: idem hoc in loco præcipit, cum ait: Verbum Christi habitet in uobis, .h. Non sit ignotus aut rarus hospes doctrina Christi in uobis sed sit familiaris cõuictor: Ac ut in domo tua, familiarissime tibi noti sunt, coniunx, liberi, & alij, quos præcipue amas, & cum quibus quotidie & suauissime colloqueris, & omnes curas & cogitationes tuas communicare soles: ita familiariter & integre tibi perspecti & cogniti sint libri doctrinam Christi continentes. Hos quotidie legas, repetas, mediteris: nec legisse semel satis est, iuuet usq; morari, Et conferre gradum, & dicendi discere causas.

Primum

Primum ut summam totius doctrinæ de Deo in corpus redactæ, ordine & integre ex illis discas, & testimonia Articulorum fidei & ueram ac natiuam sententiam in locis præcipuis teneas & memineris. Neq; enim subito res tantæ penitus comprehendi possunt. Ac si quis existimat satis esse semel & iterum legisse uel audiuisse libros sacros, & postquam semel perlegit, penitus se exhausisse totam eorum sapientiam somniat: uehementer fallitur, nec doctrinæ cœlestis magnitudinem & difficultatem, nec nostram imbecillitatem, nec ullam discendi rationem considerat. Nam ut Paulum τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν non piget, idq; auditoribus utile esse scribit: ita in discendo eadem sæpe relegi & crebro repeti & cogitatione immorari necesse est.

Deinde etiam si semel utcunq; percepta fuerit doctrina, tamen nisi subinde & assidue eam repetas, audias, commemores, & ad usum in uita transferas, paulatim rursus amittitur & plane extinguitur. Vult igitur Paulus opulenter seu abunde inter nos habitare & sæpe multumq; legi doctrinam Christi: & quidem sapienter, h. nec ignaue, nec Sophistice. Non legunt sapienter, qui raro pagellas paucas euoluunt, & legunt sine attentione. Nec habitat sermo Christi sapienter in Sophistis, Hæreticis & præstigiatoribus, qui fontes seu totum doctrinæ corpus & omnium

nium membrorum inter se harmoniam non recte discunt nec considerant, qui membra doctrinæ Legem & Euangelion, iustitiam ciuilem & Christianam, cultus expresso uerbo Dei mandatos & ἐθελοθρησκείας humanas, gubernationem politicam & ministerium Euangelij &c. non recte distinguunt, nec membra sermonis diuini inter se apte & dextre conferunt.

Præcipua uero & grauissima causa est, cur uerbum Christi in nobis opulente & cum sapientia habitare, .h. quotidie audiri, legi, cogitari debeat: Quod per hoc uerbum Christi à nobis auditum seu lectum & cogitatum, & non aliter, Deus docet, consolatur, trahit, regenerat, & saluat homines, & ueram sui agnitionem, timorem, fidem, inuocationem, spem, patientiam & cæteras uirtutes, cum sapientia & iustitia Dei congruentes, in nostris pectoribus excusitat, accendit, alit, & confirmat: Imo seipsum nobis communicat & impertit. Nam ubicunq; doctrina Christi habitat, .h. ubi pie cogitatur & fide accipitur, ibi uere Deus ipse in corde habitat, et cor regit ac sanctificat, .h. sua luce, sapientia, iustitia & uita perfundit & ornat.

Quod autem maius bonum cogitari, quid melius ab ulla creatura expeti potest, quam esse Dei domicilium & sanctæ trinitatis sacrarium, sicut expresse inquit ipse Filius Dei. Si quis diligit me, sermonem

meum seruabit & pater meus diligit eum & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Hoc dictum Christi prorsus cum Pauli sententia congruit, in quo & præcipit ut Doctrinam Christi seruemus, hoc est, discere, fide amplecti, custodire ac tueri studeamus, & addit promissionem amplissimam, Diligi à Deo omnes, qui Christi doctrinam discunt et custodiunt, & esse eos Domicilia & Templa Dei. Simus igitur & nos custodes & cohabitatores seu lectores assidui doctrinæ Christi, & nobiscum loqui Deum in sacris literis, & hoc scripto uerbo nos uelle docere, exhortari, consolari, sciamus.

Non sunt sacræ scripturæ dicta, alienæ tantum historiæ narrationes nihil ad nos pertinentes, ut sermones personarum in ueteribus Tragœdijs, sed te & me & nos omnes alloquitur Deus, cum inquit, Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te, & tu glorificabis me. Ad te & ad me hæc uox pertinet. Iacta in Deum curam tuam & ipse te sustentabit.

Hæc mandata & has consolationes NOBIS proponit Deus. Nos uult hisce mandatis & promissionibus obtemperare & assentiri, perinde ac si ipsum Deum uiua uoce nobis de cœlo suam uoluntatem declarare audiremus.

Hæc

Hac accommodatione ad nos singulos, excuscitatur, accenditur, exercetur & confirmatur Fides, spes, Inuocatio, Patientia & cæteræ uirtutes Christianæ, sicut Roma. 15. Paulus inquit: Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarū spem habeam⁹. Nobis inquit præscriptos esse libros sacros, Nos igitur eos assidue diligenter & attente legamus: & omnes promissiones gratiæ, auxilij, liberationis diuinæ, omnia exempla iræ Dei in pœnis, & misericordiæ in recipiendis lapsis, ad nos quoq; pertinere, & nobis applicanda esse statuamus. Excuscitent etiam singulos ad diligentiam, intentionem & assiduitatem in legendis & audiendis quotidie libris diuinitus traditis amplissimæ utilitates in hoc Pauli dicto propositæ de quibus breuissime dicam.

Primum inquit, ad nostrā Doctrinam, sacras literas nobis præscriptas esse. Docent enim de rebus summis & maximis, de quibus nulli alij libri uel Philosophorum uel poëtarum uel Oratorum uel quorumcunq; sapientum quidquam certi aut solidi docere possunt, uidelicet de uera agnitione & inuocatione ueri DEI, qui est æternus PATER, FILIVS, & SPIRITVS Sanctus, de exordio Mundi & creatione omnium rerum Angelorum & hominum,

de causa calamitatum, peccati & mortis humanæ, de remissione peccatorum & reconciliatione hominum cum Deo propter filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis crucifixum & resuscitatum, de uera consolatione opponenda morti & omnibus ærumnis, de abolitione peccati & mortis, de restitutione corporum, de perpetuis impiorum pœnis, de piorum uita & gloria æterna. De his tantis rebus & ad omnium nostrum æternam salutem pertinentibus, erudit nos scriptura θεόπνευστος, quam ea de causa, inde usq; à pueris, diligenter discere, alibi Paulus iubet.

Altera utilitas est, Patientia, quæ in doloribus, iniurijs, obtrectationibus, contumelijs & alijs ærumnis quibuscunq; moderate & placide ferendis, reuerenter se uoluntati Dei subijcit, nec indignatione uel fremitu aduersus Deum, uel eos, à quibus læsa est, dolorem auget, sed fide statuit Deum sibi propitium esse & petit ac expectat auxilium Dei & liberationem, & hac fide ac spe dolorem lenit, et pacem ac lætitiam in corde experitur & sentit. Cum autem tota hominum uita nihil aliud quam perpetua miseria sit, & in primis homines pij & sancti ac fideles filij Dei ministri, omnium impiorum contumelijs, persecutionibus, exilijs & supplicijs expositi sint: nec sine Patientia retineri tranquillitas animi erecti, interriti, stabilis

bilis & beati poßit: perſpicuum eſt, eximiam hanc et grauiſſimam doctrinæ cœleſtis utilitatem eſſe, quod fide nos in Deo propter Chriſtum nobis propito adquieſcere & lætari, & patienti ac placido animo, in hoc breui & fugaciſſimo uitæ mortalis curriculo, momentaneam leuitatem adflictionis tolerare & ſpernere, & æternum pondus gloriæ in cœlis expectare docet. Interea exemplum Chriſti redemptoris noſtri, cuius fratres & cohæredes ſumus, ſequamur, qui cum iniurijs & contumelijs afficeretur, non regeßit contumelias ſed tradidit uindictam Deo, qui iuſte iudicat. Satis enim idoneus Patientiæ ſequeſter Deus eſt, inquit Tertullianus. Si iniuriam depoſueris penes eum, ultor eſt: Si damnum, reſtitutor eſt: Si mortem reſuſcitator eſt.

Præcipiunt & Ethnici de hac animi tranquillitate & magnitudine, nullis iniuriarum & fortunæ telis de ſuo ſtatu deiecti, tuenda, & laudant patientiam & ſapientiam eorum, qui exercitatione longa & fideli, robur perpetiendi laſſandiq; omnem inimicam uim conſecuti ſunt. Latißime patere iniuriarum materiam, inquit Seneca, per quas, periculum nobis quæſitum eſt, ut accuſatore ſubmiſſo, aut criminatione falſa, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæq; alia intra togatos latrocinia ſunt. Minores uero iniurias ac contumelias, quibus infirma nimio

ocio ingenia, muliebria, et inopia ueræ iniuriæ lasciuientia cõmouentur, nihil magis quam puerorum aut bestiarum iniurias curari debere. Venit ecce mors, quæ nos omnes pares faciat. Videre solemus inter matutina harenæ spectacula, tauri & ursi pugnam inter se colligatorum, quos cum alter alterum uexarit, utriusq; confector spectat. Idem nos facimus. Aliquem nobis cum alligatum lacessimus, cum uicto victoriq; finis æque maturus immineat. Nũquid amplius isti cui iraseris, quàm mortem optas? Etiam te quiescente moretur, perdes operam. Nolo inquis utiq; occidere, sed exilio, sed ignominia, sed damno afficere. Magis ignosco ei, qui uulnus inimici, quam qui punctiunculã concupiscit. Hic enim non tantum mali animi est, sed pusilli. Siue de ultimis supplicijs cogitas, siue de leuioribus, quantulum est temporis, quo aut ille pœna sua torqueatur, aut tu malum gaudium ex aliena capias. Iam ipsum Spiritum expuimus, interim dum trahimꝰ.

Dum inter homines sumus colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, iniurias, conuicia, uellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda. Dum respicimus, quod aiunt, uersamus q; nos, immortalitas aderit. Hæc à uiro sapiente & docto, grauissime & ad consolandos ac confirmandos in leuioribus iniurijs & uellicationibus animos efficacissime scripta sunt.

Sed

Sed multo sublimior & efficacior est scriptu-
rarum consolatio, quam Paulus ex lectione seu cohabitatione Doctrinæ Christi emanare & hauriri scribit: quamq; nulli alij libri præter hæc scripta Prophetarum & Apostolorum ostendunt. Hæc non solũ leuioribus malis, inopiæ, calumnijs, morbis, uerũ etiam iræ Dei, peccato & morti remedium salutare & efficax opponit Filium DEI dominum nostrum Iesum Christum, qui hominis filius natus est ut nos Dei filios redderet, serui formam assumpsit, ut nos ex seruitute peccati liberaret, uulneratus est ut uulnera nostra sanaret, mortuus est ut nobis mortuis immortalitatem restitueret. Hic est unicum & tutissimum salutis nostræ refugium & portus, in quo ex omnibus miseræ huius & ærumnosæ uitæ calamitatibus & ex morte ipsa eluctati suauissime adquiescemus, ut ipse filius Dei inquit. Si quis uerbum meum seruauerit mortem non uidebit in æternum. Tam salutare & efficax pharmacum est uerbum Christi fide apprehensum, Quam ut in nobis augeat & confirmet filius Dei archiatros noster toto eum pectore precor. Huius fidei soror est Spes uitæ et gloriæ æternæ certo secuturæ, quæ si ad cæteras consolationes non accedat, Patientia ipsa sæpius læsa in furorem uertitur, & tandem uita cũ gemitu fugit indignata sub umbras. Vt igitur hanc galeam salutis nostræ muniamus & confir-

memus, assidua doctrinæ Christi lectione et meditatione nobis opus est. Quam qui contemnunt uel oderunt, tandem in desperationem ruunt, et horrendis pœnis præsentibus et æternis opprimuntur, ut scriptum est, Qui non audierit, ego ultor ero.

Hanc necessitatem diligenter et assidue legendi uel audiendi doctrinam cœlestem omnibus hominibus impositam, et seueriss. mandata Dei, ac utilitates studij sacrarum literarum amplissimas, opponamus prophanis impiorum iudicijs, qui et Theologiam et uerbi Dei studiosos ac ministros, in contemptum et odium adducere omnibus uiribus nituntur. Ac quod Plato de Philosophia inquit, se non tantum amare et colere Philosophiam, uerũetiam ita animo confirmatum esse, ut eos à quibus propterea derideatur, uicissim deridere et contemnere possit: Id nos multo magis in hoc nostro studiorum genere præstimus, præsertim cum hoc fatum esse et rerum omnium et hominum optimorum sciamus, ut quo maiores sunt et præstantiores coram Deo, eò superbius et securius ab impijs huius seculi filijs contemnantur et conculcentur.

Quod si Alexander Magnus Homeri Iliada, quam ἐφόδιον τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς nominabat, quotidie secum circumferre et legere solitus est,

Fessaq;

Fessaq; nocturna cum membra quiete leuaret

Dicitur hanc capiti supposuisse suo: Si Scipio, Cyri παιδειαν nunquam ex manibus deposuit, ut se ad illud exemplum laudatissimi Principis totum componeret: Quanto magis hunc librum Christi doctrinam continentem, et à Deo fonte omnis sapientiæ et doctrinæ, non sacerdotibus solum, sed omnibus, qui Hominis appellationem tueri uolunt, præscriptum, ut perfectissima totius uitæ norma, et præsentis ac æternæ salutis fons esset, quotidie legere, audire, discere, et diurna nocturnaq; manu uersare, et imis pectorum nostrorum penetralibus infigere debemus. Neq; hæc eo dico, quod omnes adolescentes à cæterarum artium studijs auocatos, soli Theologiæ operam dare uelim, neglecta Grammatica linguæ latinæ et Græcæ, neglectis exercitijs styli, et cæteris, quæ ad ueram et solidam eruditionem comparandam non minus quã hoc aëre et cibo ad uitam corporis sustinendam opus est, necessaria sunt. Imo ex animo doleo hæc utilissima studiorum exercitia passim prætermitti, et nec à discentibus, nec à nobis præceptoribus tanta diligentia et assiduitate urgeri, quanta debebãt, et si anniteremur, potrant. Verum hoc affirmo, Primam et summam omnium in studijs literarum uersantium curam hanc esse debere, ut quotidie aliquid temporis lectioni, auscultationi, et meditationi doctrinæ

Christi tribuant, & efficiant, ut uerbum Christi in eis opulenter habitet, & sapienter intelligatur, cognitis fontibus linguarum, & adhibitis artibus necessarijs, & dextre inter se collatis omnibus membris. Talia domicilia & templa doctrinæ Christi esse hos quinq; honestos & eruditos uiros scimus. Nam & in priuato examine, et publico colloquio disputationis, eorum eruditionem in doctrina Ecclesiæ et cæteris artibus exploruimus, & dignos esse honorifico testimonio iudicamus. Primum autem usitatam promissionem de tuenda puritate doctrinæ & morum pietate ac modestia, præstabunt.

PROMOTIO BACCALAVREorum.

QVod igitur institutum nostrum fortunet & adiuuet Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, Ego publica collegij Theologici uoce

uoce, uos quinq; pios & eruditos uiros, te Nicolaum Lindebergiū Perlebergensem, te Samuelem Linsiū Lindauiensem, te Hermannum Crispinum Oldeburgensem, te Ioachimum Mylium Graboensem, & te Alexium Burcardum Torgensem, creo & promouco sacræ Theologiæ Baccalaureos, & uos omnes ac singulos honestissimo gradu Baccalaureorum Theologiæ ornatos esse publice renuncio, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

NVnc scholæ consuetudo postulabat, ut uos quoq; singuli de aliqua parte cœlestis doctrinæ publice hoc in loco disceretis. Sed cum in hac frequentia candidatorum & temporis angustia singuli audiri non possint, tu M. Nicolae, breui oratione argumentum aliquod, ad ueram pietatem et eruditionem alendam utile tractes. Præsen-

PRAESENTATIO LICENTIANDORVM.

REuerende & clarissime Doctor Simon, Domine Vicecancellarie ornatissime, collega & compater carissime.

Cum ex numero Angelorum in scala Christi ascendentium & descendentium, de quibus ante triduum pro concione dici audiuimus, sint Reuerendi & Clarissimi Viri, M. Lucas Backmeisterus, M. Volgangus Peristerus, & M. Iosias Richius, quorum & mores honesti, pij ac casti, & eruditio eximia, et dexteritas ac fides in docenda & propaganda cœlesti doctrina

doctrina, non nobis solum in hac Ecclesia & Schola, uerum etiam exteris gentibus, perspecta & cognita est: reuerenter à te, pro nostra coniunctione, peto, ut pro authoritate tibi nunc ab Illustrissimo Principe & Domino D. Vlrico, Duce Megapolense &c. Domino nostro clementiss. & Academiæ nostræ Cancellario, cõcessa, facultatem & licentiam accipiendi gradum & insignia Doctorum Theologiæ ipsis benigne tribuas. & una nobiscum ores Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nos doceat, & lucem doctrinæ in hac Schola accensam, & Doctores pios ac salutares seruet & gubernet, Amen.

Oratio

ORATIO, DE SYMBOLI ARTIculo, Credo in Iesum Christum, qui ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis,

Habita à

D. SIMONE PAVLI.

QVANTA adsiciar uoluptate, hos honestißimos cœtus scholasticos adspiciens, nullis possum uerbis explicare. Quid enim homini non prorsus à pietate & literis alieno, potest esse iucundius? quodnam ipsi potest esse theatrum uel maius, uel splendidius? quam intueri in laudatißimam coronam uirorum, doctrinæ, pietatis, sapientiæ, & uirtutis gloria præstantium, quorum authoritate, industria, officio, diligentia & scientia, totus illuminatur mundus, religionis, legum, naturæ rerum, & uirtutis doctrina conseruatur, pax stabilitur, bella restinguuntur, imperia constituuntur, publicum commodum erigitur & administratur. Sunt profecto scholastici cœtus nihil aliud, quam paradisus, seu amœnißimus hortus, ex quo Scholastici, doctrina et uirtute

tate exculti, per uniuersum terrarum orbem transferuntur, in Ecclesias, in aulas, in Respub. in scholas, ubi regunt conciones, regunt imperia, iudicia, summorum principum consilia, corporum sanitatem tuentur, atq; iuuuentutis studia informant. Et lætam quãdam atq; omnino dulcem mihi pingunt imaginem cœlestis istius Academiæ et Scholæ, in qua pij frequentes congregati, orantem et docentem, coram audient Summum Doctorem Iesum Christum filium Dei, Auget etiam hanc lætitiam conspectus generosi et illustris uiri D. NICOLAI GVLDENSTERN equitis aurati, et sereniss. ac potentiss: Suecorũ regis Cancellarij, et reliquorum hospitum, uirorum eruditionis pietatis et uirtutis gloria excellentium, D. Doctoris Conradi Pistorij, D. Doctoris Simonis Musæi. D. Doctoris Iohannis VVigandi. D. Doctoris Ezechiæ Richij, et D. M. Simonis Brunonis, qui nostri honoris causa ex peregrinis locis ad ornandum hunc publicum promotionis actum conuenerunt, pro quo officio gratiam ipsis habemus, quantam maximam animi nostri capere possunt, Nostram obseruantiam summa fide omnibus et singulis rursum probare conabimur.

Vsitatum est autem in his eruditorum congressibus, uel de studiorum nostrorum dignitate et utilitate aliquid disserere, uel aliquam doctrinæ partem ex

explicare. Quapropter cum officium mihi dicendi necessitatem imponat, sumam materiam et meæ professioni et huic tempori conuenientem.

Dies crastina, quæ quinta est huius mensis Maij, est uera illa dies, qua Dominus noster Iesus Christus, Triumphali pompa, magno angelorum et resuscitatorum patrum et aliorum piorum agmine stipatus, in cœlum ascendit, ubi nunc considet ad dexteram æterni patris, uictor, summus Rex, et summus sacerdos, interpellans pro nobis, et salutaria dona plurima largissimè in suã Ecclesiam effundens. Magnæ autem sunt hoc tempore et atroces cõtentiones, de Christi sessione ad æterni Patris dexteram. Nam summi et doctissimi in Ecclesia uiri maxima contentione de hac re disputant, Quomodo Christus, cum sedeat ad dexteram æterni Patris, præsens sit suæ Ecclesiæ usq; ad seculi consummationem, an præsens sit sola diuina natura, an uero tota persona Christi, Dei et hominis. Breuem itaq; hoc in loco instituam declarationem de Symboli Articulo: Credo in Iesum Christum, qui ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Etsi autem intelligo et uim ingenij mei et facultatem dicendi in me, longe minorem esse, quam ut eruditissimis uestris auribus de hac difficili quæstione satisfacere possim, tamen cum

Deo

Deo etiam infantum & lactentium laudes placeant, omnes bonos, omnia in bonam partem accepturos esse certo, scio. Toto autem pectore oro ipsum filiũ Dei, sedentem ad dexteram patris, & dantem dona hominibus, ut de Spiritu sancto suo in me effundat, qui lnguã ita regat & gubernet, ut Deo grata & mihi & alijs salutaria, de tanta re dicat. Vt integra disputatio de ascensione Christi in cœlum, de sessione eius ad æterni patris dextram, de præsentia eius in Ecclesia usq; ad seculi consummationem commodius intelligi possit, principio consideremus uocabulorum cœli, sessionis, & dextræ Dei, significationes.

Cœlũ in sacris literis uocabulum πολύσημον est. Primũ enim accipitur pro pulcherrima illa et splendidissima mundi machina, quæ stellis insignata, & in nouem sphæras seu orbes distincta, omnia inferiora corpora, quæ ex elementis constant, continet & complectitur, atq; spatio 24. horarum incredibili uelocitate in gyrum circumducitur, Gen. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram. Et Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Deinde, nubes significat, quæ sub cœlo feruntur 3. Reg. 8. Si cœlum clausum fuerit et non pluerit, id est, si nullæ nubes largissima pluuia & hymbre terram humectabunt, ut fertilis reddatur. Hinc pro uitæ æternæ hereditate accipitur, Matth. 18.

Sinite paruulos ad me uenire, quoniam talium est regnum cœlorum, quo dicto affirmat filius Dei, ad infantes quoq; uitæ æternæ hæreditatem pertinere. Postremo sumitur pro beata illa, Dei, angelorum, atq; piorũ habitatione, ubi se Deus castis angelis, pijs patribus et reliquis ex morte resuscitatis, tempore resurrectionis Christi, ac sanctis animabus, facie ad faciem conspiciendum exhibet. Matth. 18. Videte ne offendatis unum ex paruulis istis, quia Angeli eorũ, semper uident faciem patris eorum, qui in cœlis est. Hoc cœlũ dicitur cœlũ cœlorũ, quia supra omnes cœlos seu sphæras planetarũ et stellarũ firarum atq; ipsum etiam primummobile esse, pleriq; ex Patribus & nostræ ætatis eruditis, existimant. Psal. 113. Cœlum cœlorum Domini est, terram autem dedit filijs hominum. In hoc coelum Christũ ascendisse ijdem asserunt, & ibi coram ab Ecclesia triumphante conspici uisibiliter, interea tamen Ecclesiæ militanti hic in terris inuisibiliter, usq; ad seculi consummationem, conuersari.

Sedere in sacris literis, regnum ostendit, seu regis aut gubernatoris officium & potentiam exercere atq; exequi. Esa. 9. Super solium Dauid sedebit, quod dictum Angelus Matth. 1. his uerbis exponit. Hic erit magnꝰ & filius altissimi uocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui regnabitq; super domum

mum IACOB in æternum, & Regni eius non erit finis.

Dextera Dei omnipotentiam eius, maiestatem, gloriam & honorem pingit atq; proponit. Psal. 118. Dextera domini fecit uirtutem & fortia facta. Sedere igitur filium Dei dominum nostrum Iesum Christum ad æterni patris dexteram, nequaquam significat, certo coeli loco eum circumscribi & alligari, sed pari cum omnipotente patre, potentia, omnia agere atq; exequi, & æquali cum eo maiestate, gloria, et honore ornatum esse. Vt Cyrillus inquit lib. 12. Thesaur: Nihil aliud intelligitur quando de Deo sedere et sedes aut solium dicitur, nisi principatus & regia potestas, quam naturaliter super omnes creaturas habet filius Dei. Magna enim amentia est, & sessionem & sedem, aut omnino situm aliquem Deo attribuere. Sed quæ corporaliter nostro more de ipso scribuntur, conuenienter de eo intelligenda sunt. Quare cum filius à dextris sedere uirtutis Dei etiam scribitur, nihil aliud significatur, nisi non esse minorem Filio quam Patri cultum & honorem attribuendum, sed eundem omnino. Id autem adsumptum est à consuetudine nostra. In dextris enim nostris collocamus, quos non minoris dignitatis putamus.

Ex hac breui declaratione perſpicuum eſt, Chriſti aſcenſionem in cœlum, & ſeſſionem eius ad dexteram æterni patris, nequaquam præſentiam eius hic in terris excludere, ſed magis confirmare. Non enim ſimpliciter aſcendit in cœlum, ut Elias quem igneo curru in cœlum ſubuectum eſſe ſacræ litteræ aſſerunt, neq; ut Enoch quem à Domino translatum eſſe affirmant, ſed ita ut ſedeat ad æterni patris dexteram.

Ac Chriſti Dei & hominis integram perſonam uere præſentem eſſe, Eccleſiæ ſuæ hic in terris uſq; ad ſeculi cõſummationem, his perſpicuis atq; euidentibus probo et confirmo, rationibus.

Primum, Cum filio Dei, propter perſonalem diuinæ & humanæ naturæ unionem, tradita ſint omnia à patre, Matth. 11. Atq; ab eodem omnem acceperit poteſtatem, in cœlo & in terra, Matth. 28. Non eſt dubium, corpus Chriſti uere eſſe omnipotens. Nam omnia quæ à patre filius accepit, ea non accepit ut Deus, qui omnia habet ab æterno, & nihil accipit, ſed ut homo, cuius proprium eſt, à Deo accipere, ut diſerte affirmat Cyrillus, exponens dictum Iohan. 5. Sicut pater habet uitam in ſemetipſo, ita & filio dedit uitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium faciendi, quia filius hominis eſt. Cauſam quare hæc ſibi data à patre dixerit,

rit, illico subiecit dicens, Quia filius hominis est, ut intelligamus omnia sibi data fuisse ut homini, qui cũ creatura sit, nihil habet à se ipso. Et lib. 10. Thesau. cap. 2. Habet semper omnia pater, quæ filio dedit, & filius similiter semper habet, quæ se accipere ut hominem ait, ut ipse dicit, Pater diligit filium, & potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est. Si ergo iudicandi potestatem datam sibi esse ait non alia quadam de causa, sed quia factus est homo, perspicuum est quia non ut uerbum Dei & Deꝰ ipse accipit, sed ut homo, Accipere igitur omnia, ipsi ut homini attribuendum: quæ ut Deus naturaliter habet. Quare sicut diuinitas quia omnipotens est, ubiq; adest. Ita et corpus Christi uere præsens esse Ecclesiæ manifestum est, quia omnem in cœlo & in terra accepit potestatem.

Deinde dextera ad quam sedet FILIVS Dei, & immensa est, & infinita nec certo loco potest circumscribi. Sic Christi sessio ad æterni patris dexteram ad certum locum nec referri potest, nec alligari. Vbicumq; igitur dicere possum: Hic est dextera Dei ibi & recte affirmo, hic est corpus Christi, quod ascendens in cœlum ad dexteram Dei patris omnipotentis consedit, ad quam diuinitas ab æterno sedet.

Illud etiam firmissime Christi Dei & hominis præsentiam cõfirmat quod Mediator est, etiam ut ho-

mo quemadmodum Apostolus inquit: Vnus est Mediator inter Deum & Hominem homo Iesus Christus. Est uero Mediatoris officium proprium, ubiq; adesse, inspicere corda, & gemitus ac preces inuocantium exaudire.

Quid dicemus, de personali, duarum in Christo naturarum, unione? Sunt diuina & humana natura in Christo, æterno & indissolubili foedere, ita inter se copulatæ & adunitæ, ut nequaquam diuelli possint aut separari. Habitat enim diuinitas in Christo, quemadmodum Paulus inquit σωματικῶς. hoc est, corporaliter. Et Iohannes cap. 1. Perspicuè affirmat, Verbum factum esse carnem, quod dictum Cyrillus exponens, ait: Euangelistam usum esse hac loquendi forma: Verbum caro factum est. Et non his: Verbum uenit in carnem. Et Verbum habitat in carne, ut manifestum esset, alio modo diuinitatem habitare in Christo, quam in patribus & nobis, qui Dei sacraria & templa sumus, sicut scribitur: Vos estis templum Dei uiuentis. Nam in Christo talis est naturarũ copulatio, ut ibi sit diuinitas, ubicũq; est humanitas & contra. Qui igitur præsentiam corporis Christi oppugnat, & certo cœli loco id alligatum esse contendit, aut æternum illud atq; indissolubile duarum in Christo

naturarum foedus, dissoluit & diuellit, aut duos facit Dei filios, quorum unus, habens corpus humanum, ad certum coeli locum affixus sit, alter uero extra corpus humanum, ubiq; uersetur: aut diuinam naturam in Christo in duas discerpit partes, quarum una sit in corpore, altera ubiq; extra corpus. Asfirmat autem Iohannes Verbum factum esse carnem, non aliquam eius particulam, hoc est integrum uerbum, non aliquam uerbi partem, ita sibi æterno foedere copulasse humanitatem, ut nusquam sit extra eam. Quapropter & corpus Christi uere ibi esse, ubi est eius diuinitas, adeo est perspicuum, ut eum qui hoc negat non solum rationis non compotem esse existimem, sed diabolico etiam furore & petulantia fascinatum, omnino mihi persuadeam.

Præterea quia diuinitas in Christo sese exinaniuit, forma serui assumpta, rursus humanitas eius exaltata est, ad sublimitatem, maiestatem, & potentiam diuinæ naturæ. Philip. 2. Qui cum esset in forma Dei, non rapina consecutus, est ut esset æqualis DEO, sed forma serui adsumpta semetipsum exinaniuit, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propterea extulit eum Deus & dedit ipsi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine IESV, flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium

& inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Iesus, sit in gloria patris, quæ certo loco non est alligata, sed uniuersum terrarũ orbem implet.

His cuidentibus atq; immotis rationibus, adiungantur scripturæ testimonia, Matth. 11. Tradita sunt mihi omnia à patre meo. Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Si omnem accepit potestatem in cœlo & in terra, cur hanc etiam ipsi datam esse non credimus, qua præsens sit hic in terris Ecclesiæ suæ. Item, Ecce ego uobiscum sum usq; ad seculi consummationem. Iohan. 16. Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Ephes. 2. Ascendit super cœlos omnes ut omnia in omnibus adimpleat. Postremo considerentur exempla eorũ, quibus Christus post ascensionem in cœlum adparuit. Stephanus Acto. 7. inquit se uidere filium hominis stantem à dextris uirtutis Dei. Non dubium est quod in aëre cum uiderit, cum humanorum oculorum acies, non possit petingere, per planetarum & stellarum fixarum, sphæras, atq; per primum mobile, in ipsum coelum. Acto. 9. Vbi miraculosa Pauli conuersio describitur, fit mentio colloquij inter Christum & Paulum, quod factum esse, non in coelo, sed in aëre, perspicuum est.

Ad ea quæ ab aduersarijs opponũtur infra respõdebo. Prius pertexta illa, quæ ad nostri instituti confirmatio-

mationem, faciunt. Nequaquam uero talem Christi præsentiam constituimus, qua corpus eius per omnes naturæ partes se transfundat, & eis misceat, ut Virgilius inquit: Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. Verum, Christum Deum & hominem, ibi totum esse affirmamus, ubicunq; uersatur. Augustinus de præsentia qua Deus est ubiq;, ad Dardanum, de præsentia Dei inquit cap. 2. Sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius Deus, & in alio dimidio, dimidius, atq; ita per totum totus, sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & in cœlo & in terra totus solus, & nullo contentus loco, sed in seipso ubiq; totus. Ita Christi corpus totum esse affirmo, in quocunq; id uersatur loco.

Sed dices fortasse qua potest id fieri ratione. Dicas tu mihi quomodo Deus pater, quem, preces fundens, his compellas uerbis: Pater noster qui es in coelis, totus est in coelo, atq; ibi totus conspicitur à sanctis Angelis, & Triumphante beatorum hominum Ecclesia, & tamen uere presens nobis hic in terris adest, Postea dicam & ego tibi, quomodo Christus

Deus & homo super omnes coelos eleuatus, angelicæ & humanæ Ecclesiæ in coelo se conspiciendum exhibeat, facie ad faciem, & tamen uere præsens sit, hic in terris, iuxta promissionem: Ecce ego uobiscum sum usq; ad seculi consummationem.

Quod si hanc omnipotentis Christi præsentiam in diuersis locis intelligere non potes, quare non potius ingenij tui imbecillitatem accusas, quam quod filij Dei omnipotentiam oppugnare impudenter non erubescas? Cur non datam tibi à Deo mensuram silentio potius obruis, quam quod filij Dei immensurabilem uirtutem disputando coneris inuestigare? Cur non potius, exclusis manibus humanæ rationis speculationibus, & cogitationibus, filij Dei omnipotentiam & uirtutem, quæ ubiq; præsens adest, & nusquam deest, uneraris & exoscularis?

Ac ut breuiter dicam, scire nos oportet: Summam esse Christiani hominis sapientiam, non humanæ rationis speculationes sequi, sed ueritati & omnipotentiæ diuinæ simpliciter credere. Simplex fides, ut Basilius inquit certior et firmior est, omnibus Geometricis demonstrationibus & dialectiorum regulis. Ac erudite & grauiter Chrysostomus inquit in cap. 26. Matth. Credamus ubiq; Deo, nec repug-

repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ, absurdum esse uideatur, quod dicit. Nam uerbis eius defraudari non possumus. Sensus autem noster deceptui facillimus est. Illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum. Quoniam ille dixit, Ego uobiscum sum usq; ad seculi consummationem. Quoniam ille dixit, Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos, nulla teneamur ambiguitate, sed simpliciter credamus. Et grauiter Cyrillus inquit, enarrans locum Iohannis 6. ubi Iudæi disputant, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare. Nos firmam fidem diuinis mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud Quomodo aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc uerbum est, & extremi supplicij causa. Aliorum igitur, ut diximus, culpa perdocti, cum Deus operetur non quæramus Quomodo, sed operis sui, uiam atq; rationem illi soli concedamus. Inquit Dominus per Prophetam Esaiam: Sicut exaltatur coelum à terra, sic exaltatæ sunt meæ uiæ, à uestris uijs, & cogitationes meæ, à cogitationibus uestris. Non sunt consilia mea, ut consilia uestra, nec uiæ meæ, ut uiæ uestræ. Qui autem sapientia & uirtute adeo excellit, quomodo non operabitur ita miraculose, ut operum suorum ratio, mentem nostram effugiat. Nonne

Nonne uides, quid sæpe numero mechanici faciunt. Incredibilia uidentur nobis nonnunquam enarrare, sed tamen, quia similia ipsos fecisse uidimus, posse peragi ab ipsis, facile credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut Quomodo in suis operibus dicere audeant, quem totius sapientiæ largitorem esse non ignorant, quem omnia posse scriptura nos docuit. Si uero tu ô Iudeæ Quomodo etiamnum clamitas, hanc tuam imperitiam ego quidem secutus libenter, Quomodo ex Ægypto exiuisti rogabo? Quomodo in Serpentem Mosaica fuit uirga conuersa? Quomodo lepra manus affecta uno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit? Quomodo in naturam sanguinis aquæ transierunt? Quomodo patres tui per media maria, ut per aridam effugerunt? Quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? Quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? Quomodo stetit Iordanis? Quomodo solo clamore in expugnabilis Iericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quibus si quomodo quæris uniuersam tibi scripturã euertere necesse erit.

Ac multa profecto sunt miranda naturæ opera, quæ omnino rationem humanam excedunt. Quis nostrũ uel cogitatione adsequi potest, celerem istum

& uiolentum primimobilis raptum, qui fit circa terram spacio uiginti quatuor horarum. Ambitus terreni globi continet miliaria germanica Quinquies mille & quadringenta. Nulla est autem quantitatis terræ ad cœlum collatio, cum & centrum eius sit, & præcise sex signa, de Zodiaco semper supra Horizontem esse, uideamus.

Hinc intelligunt omnes, ingentem esse primimobilis capacitatem, quæ tamen cursum suum breuissimo temporis interuallo, uiginti quatuor horarum spacio conficit, & iam annis 5526. Omnes inferiores sphæras stellarum fixarum et planetarum, secum ingyrum duxit, tanta constantia, ut in ista seculorum multitudine, ne ad minimum quidem minutum retardauerit? Quis non miratur potius, quam quod intelligat mirabilem motum Solis, qui medio loco inter planetas constitutus, immutabiliter hanc legem hactenus conseruauit, ut nunquam à sua semita, quam Eclipticam uocant, deflexerit? perpetuo diebus 365. & sex horis ferè, proprium cursum suum ab occasu in ortum leniter reuitendo contra uiolentum primobilis raptum cõficiat, immutabiles ueris, æstatis, autumni & hyemis uicissitudines faciat, atq; perpetua dierum noctium & horarum spacia describat. Quid de Luna dicam? quæ non perpetuo manet in Ecliptica, sed nunc uersus meridiem, nunc uersus septentrionem ab ea digreditur,

greditur, ita tamen ut nunquam ex signifero orbe discedat, quæ immutabili lege, menstruo spatio Solis cursum consequitur, à quo suum lumen mutuatur, quod habet tenuissimum, cum proxime ad eum accedit, plenissimum uero ubi remotissime ab eo distat, ac non solum formam luminis mutat, sed & qualitatem, qua temperat & rigat, res terra nascentes, ut in plantis, seminibus & humanis etiam corporibus experimur.

Quam mirabiles sunt motus reliquorum quinq; planetarũ? quorum tres supra, & duo infra Solem feruntur, & certis metis, nunc occulcantur, nunc rursum aperiuntur, nunc antecedunt, nunc subsequuntur Solem, nunc concitatiori, nunc tardiori motu incedunt, nunc ad tempus quoddam omnino insistere uidentur.

Diuersis etiam sed tamen præfinitis & certis annorum spatijs, in quibus, tantis seculorum ætatibus, nihil omnino immutatum est, suos cursus, quibus reuiendo peragrant Zodiaci orbem, absoluunt.

Saturnus 30. fere annis suum cursum conficit.

Iupiter eundem signiferi orbem annis fere 12. lustrat, quem Mars biennio fere, cursu suo perficit.

Duo inferiores, ceu certa lege coacti, has metas immutabili ordine conseruant, ut Venus citra

quin-

quinquaginta, Mercurius ultra triginta gradus à Sole non discedant, nec longiori interuallo, eum, uel ante currant, uel subsequantur, & duodecim signorum orbis longitudinem, eodem cum ipso spacio perlustrent. Terra cum aqua unum constituens globum, qui ceu centrum præcise in media mundi parte collocatus, nullo nititur fulcimine, immobilis consistit, unde sunt hi uersus:

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixum,
Aëre subiecto, tam graue pendet onus.

HANC perpetuam harmoniam & efficaciam in natura inferiori, hanc immutabilem constantiam motuum, & in tantis seculis conuenientiam, hos omnium stellarum fixarum & planetarum perennes cursus atq; perpetuos, in quibus multa mirabiliter fiunt, tum procedendo, tum recedendo, tum uespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis temporibus sese rursum aperiendo, Hanc deniq; terræ quæ nullo sustinetur fulcimine, immobilitatem, cum contemplamur, apertum quidem est atq; perspicuum, esse aliquem Deum omnipotentem cuius prouidentia hæc administrantur, sed quomodo ab ipso regantur & fiant, nec quaquam intelligimus.

Possem multa adferre de motu nubium in aëre, de uentorum & aquarum conditione, de rerum

rerum omnium generatione, de miranda humani corporis fabrica, de memoriæ capacitate, de conscientiæ iudicio, de modo uisionis, de somno & alijs, nisi in immensum hæc oratio, quæ debet esse breuior, excresceret. Si hæc terrena non intelligimus, quomodo coelestia & diuina mentis nostræ acie percipiemus, quemadmodum Dominus ad Nicodemum inquit Iohannis 3. Si terrena dixi uobis, & non creditis, Quomodo, si dixero uobis cœlestia, credetis?

Sed contra opponis. Habet Christus uerum & naturale corpus humanũ, nostris corporibus omnino simile, solo peccato excepto, ut Epistola ad Ebre. habet, nec sunt duarum in Christo naturarum diuinæ & humanæ proprietates, confundendæ. Nullo modo naturarũ proprietates confundimus, sed earum personalem copulationem constituimus. Ac diserte & nos affirmamus, Christum habere uerum corpus humanum, simile nostris, quod attinet ad substantiam carnis, ossium, neruorum, lineamentorum, affectuum, absq; peccato &c. Verum multas prærogatiuas, propter unionem personalem cum diuina natura, ipsi attribuimus, quales sunt nasci ex uirgine, edi in lucem inuiolata uirginitate, ambulare super aquas, ieiunare dies quadraginta & totidem noctes, inuisibilem esse, habere potentiam uiuificandi, adorari, (nam

&

& humanitas Christi adoratur, Philip. 2. Vt in nomine IESV flectatur omne genu) non sentire putrefactionem in sepulcro, resurgere ex mortuis, accipere omnem potentiam in cœlo & in terra, considere ad dexteram Dei patris omnipotentis. Non minus proprium est uero & naturali corpori humano, nasci ex mare & fœmina, quàm in uno certo aliquo loco uersari. Nascitur autem filius Dei ex sola uirgine, & tamen habet uerum & quidem naturale corpus humanum. Ideo præclare AMBROSIVS inquit in libro de his qui ministerio iniciantur. Quid quæris naturæ ordinem in corpore CHRISTI, cum ipse fœtus sit ex uirgine? Ac concedemus aduersarijs, ipsorum corpora per omnia similia esse corpori Christi, exclusis prærogatiuis, si eos facere, quæ Christus fecit, uidebimus. Si super aquas ambulabunt, si ieiunabunt dies quadraginta & totidem noctes, si patientur se interfici, & tertia die resurgent, Si deniq; in cœlum ascendent, atq; ibi ad Dei omnipotentis dexteram considebunt.

Dicunt. fieri non posse, ut res creata sit ubiq;, idq; testimonio Basilij comprobant, qui scribit, angelum illum, qui astat Cornelio, non esse in eodem loco apud Philippum. Affirmamus & nos solam creaturam ubiq; esse non posse. Etsi autem Christi corpus creatura est, cum non ab æterno extiterit, tamen

men certum est, id copulatum esse cum diuina natura increata, ita ut unam cum ea personam constituat, quæ recte Deus increatus nominatur. Ac ut supra dixi, Hoc corpus Christi creatum, propter unionem personalem cum diuina natura omnem accepit potestatem in cœlo & in terra, quæ nulli angelorum uel data est, uel dabitur unquam.

Hoc etiam obijciunt: Nos quasnam uelimus proprietates diuinæ naturæ, humanitati Christi attribuere, quas contra uelimus, adimere. Æternitatem nos illi non communicare, nec creationem, & tantum de ubiquitate acerrime contendere. Nequaq̃ de sola ubiquitate certamen mouemus, sed de omnipotentia & tota maiestate corporis Christi disputam⁹, & affirmamus, humanitatem Christi exaltatam esse ad maiestatem & sublimitatem diuinæ naturæ, propterea quod diuinitas cui personali unione adunita est, sese exinaniuit, licet æternitatem non accepit, nec creationẽ, neq; ut has proprietates habeat necesse est, cum maiestatem illam de qua iam diximus, non impediant. Vt enim Deus manet omnipotens etiamsi factum non potest reddere infectum, ut post ruinam uirginem suscitare, quod exemplum ipsi aduersarij ex Augustino citant, ita manet maiestas corporis Christi, exaltata ad sublimitatem diuinæ naturæ, quamuis æternitatem non accipit & creationem. Cum enim

media

mediatorem hominem esse oportuit, quia homo peccauit, necesse est ut certo tempore homo nascatur. Postquam iam natus est, & personalis unio duarum naturarum tota persona facta, æterna est & creat atq; sustentat naturam conditam.

Mirantur nos ita de ubiquitate disputare. Miramur nos multo rectius, quare tanta uehementia & contentione eam oppugnent. Ac non de sola ubiquitate, ut supra dictum est, certamen instituitur, sed de Christi omnipotentia & maiestate. Quid prodest ita horribiliter Christi maiestati aduersari. Valde celebratur Isocratis dictum: Cum medium attingere sit difficile, melius est minus quam nimiũ. Hæc de humanis actionibus sapienter & uere dicuntur. Ego uero cum de diuinis est disputatio, existimo melius esse Deo nimium potius tribuere quam minus, præsertim in illis, quæ sine impietate ipsi possunt tribui. Contra Stephani exemplum hoc adferunt, potuisse ui diuina fieri, ut martyris oculi ita illuminarẽtur, ut tunc, ubi pro nomine Iesu esset moriendum, per primum mobile uideret Christum, stantem à dexteris Dei. A posse ad inesse infirma est consequentia, ut dialectici loquuntur. Si propter uim diuinam tantum tribuunt Stephani oculis, ut per omnes sphæras et primum mobile filium hominis stantem uidere potuerit

ad dextram Dei, quare non potius Christo hoc tribuunt, propter personalem unionem corporis ipsius, cum diuina natura, & omnipotentiam, quam accepit in cœlo & in terra, quod se in sua maiestate conspiciendum in aëre potuerit Stephano exhibere. Prolixam declarationem eorum omnium, quæ fucosa specie ueræ nostræ sententiæ opponuntur, hoc in loco instituere temporis angustia, quæ me abrumpere orationem cogit, non patitur, Et suo loco latius omnia explicabimus.

Pompa ascensionis Christi in cœlum, describitur Psal. 68. Ephe. 4. Colos. 2. Currus Domini multa milia, ascendit Dominus in iubilo, ascendisti in altum, captiuam ducens captiuitatem, dans dona hominibus. Sumitur descriptio à pompa Triumphali, quæ postea apud Romanos usitata fuit. Victor insidebat currui Triumphali, quo uehebatur per mediam urbem ad Capitolium, & primo loco ante currum præcedebant præcipui Capitanei & milites, quorum opera confectum erat bellum, ferentes spolia debellatis hostibus erepta. Deinde proxime ante currum ducebantur captiui hostes. Vltimo loco post currum Triumphalem sequebatur promiscua Romani populi multitudo, quæ cum præcedentibus Ducibus, capitaneis & militibus, carmen Triumphale, in uictoris

ctoris laudem & honorem læta & clara uoce cantitabat. Postremo uictor militibus & populo dona distribuebat. Ita Christus ascendens in altum insidet currui Triumphali, atq; per immensum & spaciosum æra in sublime subuehitur, ad æterni patris dexteram, ubi nunc uictor, summus rex & summus sacerdos residet. Ante currum præcedit magnũ agmen angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, et docentium cœtus magnus, ferens spolia exutis & debellatis hostibus erepta, inter quæ est Chirographum legis contra nos scriptum, quod CHRISTVS cruci affixum, suo sanguine delet. Proxime ante currum ducuntur captiui hostes peccatum, mors, & diabolus. Post currum sequitur pia humani generis multitudo, quæ cum CHRISTO resurrexit. Hoc Angelorum, patriarcharum, Prophetarum, Doctorum & aliorum piorum agmen, læta uoce, & grato animo carmen triumphale canit uictori Christo, qui effundit in Ecclesiam largissima dona, salutis æternæ, remissionis peccatorum, iustitiæ Spiritus sancti, &c. Act. 2. Exaltatus ad dexteram Dei, effundit hoc donum quod uos auditis, & uidetis. Inter cætera autem eximia dona, quæ distribuit Christus ascendens in cœlum, recenset Apostolus Paulus, donationem Doctorum in Ecclesia, Ephe. 4. Ascendit super cœlos omnes, ut impleret omnia. Et

ipse dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, et Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis & plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur quouis doctrinæ uento per hominum uersutiam et astutiam. Ex horum numero, qui ueri sunt Doctores à filio Dei Ecclesiæ donati, scimus esse hos tres Theologiæ candidatos, M. Lucam Backmeistrum, & M. VVolgangum Peristerum, & M. Iosiam Richium. Quare non immerito licentiam petendi gradum, & insignia Doctorum in Theologia ipsis tribuimus. Ac intelligunt omnes, hoc publico testimonio dignos esse hos candidatos, propter solidam eruditionem, propter insignia dona, quibus à Deo ornati sunt, propter morum & uitæ integritatem atq; innocentiam, deniq; propter merita in Ecclesiam & Scholas eximia. More autem & huius, & omnium Academiarum, receptum est, ut illi, qui petunt gradum Doctorum, prius iuramentum præstent. Iurabunt igitur D. Licentiandi, iuxta formam quam publicus Academiæ minister proponet.

IVRO.

Ego

Ego igitur, quod faustum, & fœlix sit, pro ea autoritate qua fungor, nomine illustrissimi Principis Megapolensis &c. D. Vdalrici, Domini nostri clementissimi &c. Academiæ huiꝰ cancellarij, his tribus reuerendis, eruditis, honestis, & pijs uiris, confero Licentiam petendi gradum Doctorum in Theologia, & creo ac publice pronuncio te M. Lucam Backmeisterum, te M. Wolgangum Peristerum, & te M. Iosiam Richium Theologiæ licenciatos, in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti, et oro filium Dei, ut uos clementer regat, & actiones, & labores uestros fortunet, ut Deo grata atq; Ecclesiæ salutaria plurima & faciatis & doceatis.

PROMOTIO DOCTORVM Theologiæ.

QVod igitur felix & fauſtum Eccleſiæ Dei eſſe uelit Deus æternus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Ego autoritate publica, qua in præſentia fungor, communi noſtræ Eccleſiæ & collegij Theologici nomine, te M. Lucam Backmeiſterum & te M. VVolgangum Periſterum, creo & promoueo Sacroſanctæ Theologiæ Doctores, & uos honeſtiſsimo gradu Doctorum ornatos eſſe, de ſententia & iudicio totius Collegij noſtri publice renuncio, in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Quem toto pectore oro, ut ueſtrum docendi miniſterium, & totius uitæ curſum clementer regat, fortunet & adiuuet, ut uaſa miſericordiæ utiliter ſeruientia Deo & Eccleſiæ maneatis.

Ritus

RITVS PROMOtioni additi.

SOlent autem, sapienti consilio antiquitatis, in hac renunciatione testimoniorum publica, Ritus certi in oculos incurrentes seruari, non ut ludi Scenici aut Theatrici, nec tantum ut renunciationem reddant conspectiorem, & dignitatem ordinis Doctorum, & reuerentiam auditorum erga docentes augeant: sed præcipuè ut sint signa uocationis eorum, quibus publicum docendi, disputandi, & libros sacros enarrandi munus commendatur. ut conspectis hisce ritibus, tota Ecclesia et Schola, de eorum uocatione & doctrina ac moribus toti presbyterio probatis certa sit.

CATHEDRA.

PRimum igitur uos, Reuerendi & clarissimi D. Doctores, publico huius Ecclesiæ & Academiæ nomine, uoco, ut in hanc superiorem Cathedram ascendatis: Cuius tenendæ ius, atq;

potestatem in Ecclesia & Academia docendi, & interpretandi Libros sacros, disputandi, & alijs doctrinæ testimonia tribuendi, hoc ritu uobis trado.

Ac Deo gratias ago, quod Ministerium docendi in Ecclesia instituit. Nec tantum per eos Doctores, qui immediate ab ipso mittuntur, & ordinantur, uerum etiam per eos, qui ab Ecclesia uocati & electi sunt, Homines de uera sui agnitione erudit & ad salutem æternam uere efficax est: sicut inquit Paulus, Doctrinam quam à me audiuisti, per multos testes, commendato fidelibus hominibus, qui idonei sunt ad alios docendos. Per horum ministerium Deus ueram sui agnitionem, iustitiam & salutem æternam, accendit & donat, perinde ac si ipse Filius Dei dominus noster Iesus Christus, sua uoce doceret. Qui hisce uerbis æterni patris de cœlo sonantibus: Hic est filius meus dilectus, quo delector, Hunc audite: in Doctorem Theologiæ promotus est.

Simul etiam hoc ritu collocandi in Cathedram, alij commonefiunt, Necessariam

fariam esse in Ecclesia uocem docentium, & eruditorum ac piorum enarrationes, & crebras de doctrina collationes. Vt autem nemo Cathedram docēdi in Ecclesia sine legitima uocatione inuadere debet: ita rursum ingens Dei beneficium & magna consolatio est, certa legitimæ uocationis testimonia habere, & membrum esse Ecclesiæ Dei, florentis salutaribus, pijs, eruditis, & uera beneuolentia inter se coniunctis Doctoribus Euangelij, ut in Psalmo dicitur, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, Quia ibi sedent sedes in iudicio, sedes domus Dauid. Rogate quæ ad pacem sunt Ieruſalem, Beati qui diligunt eam.

II. LIBER APERtus & clausus.

Deinde, summum & preciosissimum in toto genere humano Thesaurum, uobis trado & aperio, uidelicet Librum sacrosancta Biblia cōtinentem,

ex

ex quo solo uult Deus homines de uera sui agnitione & inuocatione doceri, & diuinam sapientiam, iustitiam, & salutem æternam haurire. Non proprias imaginationes de Deo & cultibus diuinis, nō Platonis Philosophiam, uel Hesiodi Theogoniam, sed solius Dei doctrinam, in hoc libro certissimis testimonijs patefactam, sequamur. Ideo ad huius Libri lectionem & meditationem assiduam toties nos sua uoce Deus cohortatur inquiens, Attende lectioni & doctrinæ. A puero literas sacras noueris. Ad legem & ad testimonium: Quod si non dixerint iuxta uerbum hoc, non eriteis matutina lux.

Amiserunt & contemnunt hunc Librum plurimi Homines in maxima parte Mundi. Ideo perpetuis tenebris ignorationis ueri Dei, & æternæ mortis, oppressi manent, Nos igitur, quibus docendi munus in Ecclesia Dei commendatum est, hunc Librum diligēter & assidue legamus, & Auditoribus enarremus, & doctrinam in eo traditam

ditam certo ordine ac Methodo propagare & illustrare studeamus.

Claudo etiam hunc Librum, sicut Christus in patria docens clausum librum ministro reddit, ut moneamini hunc Librum, & doctrinam in eo typis expressam, non tantum in his chartis legi, sed intimis penetralibus cordis uestri tenacissimè & firmissimé concludi, & spiritu diuino obsignari debere, ut Esaias precatur, Liga testimonium, Obsigna legem tuam in discipulis meis.

III. PILEVS:

Cum Aaron summus Pontifex & Doctor Ecclesiæ in populo Israel renũciandus esset, iubet Deus capiti eius Tiaram, & filijs ipsius mitras imponi. Iubet & uictimis, & Sacerdotibus consecratis, manus imponi. Ex hac uetustissima Ecclesiæ Israëliticæ consuetudine, Ritus impositionis Pileorum in Promotionibus, & Manuum in ordinatione Ministrorum, fortassis orti sunt, ut significent Doctores & ministros

stros Euangelij à Deo uocari & benedici, & diuino ministerio destinari, ac uictimas fieri, sustinentes odia, ærumnas & supplicia, propter confessionem ueritatis. Et tamen inter has ærumnas umbraculo filij Dei mirabiliter protegi & defendi, ut Christus inquit, Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum, sed capillus de capite uestro non peribit. Et Esaias: Super pios erit tegmentum & umbraculum contra æstum, & abscondentur securi à pluuia & turbine. Vmbra manus meæ protexi tè, ut plantes cœlos & fundes terram.

IIII. ANNVLVS.

Tribuo uobis etiam uetus ingenuitatis & fidei ac dignitatis insigne, Annulum Aureum, quo & de retinenda puritate ueræ ac sinceræ de Deo doctrinæ, quam auro obryzo scriptura confert, uos admoneri, & uobis fidelitatem in toto ministerio Ecclesiæ, sponsæ filij Dei, commendari cogitetis. Et simul etiam

etiam uos in superiorem ordinem eorum Hominum euehi, qui præ cæteris Reipublicæ, uel doctrina, uel consilio, uel armis, salutarem operam nauant: sicut Romæ olim annulus Equestrem ordinem à plebe discernebat.

V. COMPLEXVS

Hoc etiam amplexu uos admoneo, ut cogitetis, sic uos Ecclesiam Dei complecti & ornare, ut uicissim ipsi in tuenda doctrinæ & uoluntatum concordia, osculum gratissimum figatis.

Duo summa præcepta sunt, & præcipui fines, quos in docendo, consulendo, & in totius uitæ gubernatione intueri debemus: Primum ut uera Dei notitia inter homines conseruetur, & latè spargatur, Deinde ut foueamus communem consensum & consociationem Ecclesiæ, sicut filius Dei ardentissime precatur, Pater sancte, serua eos, ut in Nobis sint unum, doceant unum, fateantur & unum. Et Paulus Ephes: 4. Cum omni humilitate, cum man-

manſuetudine & longa patientia tolerate uos inuicem in caritate, ſolliciti ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis.

VI. PRECATIO.

Poſtremo, Cum nulla Hominum ſtudia & miniſteria ſint felicia, & Eccleſiæ ſalutaria, niſi Deo ea gubernante, & iuuante: cumq; clementiſsime præceperit Deus, ut ipſum inuocemus, & auxilium inuocantibus promiſerit: toto pectore oro Deum æternum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, conditorẽ cœli & terræ, Angelorum & Hominum, & Eccleſiæ ſuę, una cum filio ſuo domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto ſuo, fontem omnis ſapientiæ ac doctrinæ, & pacis ſalutaris, ut uos, & nos omnes doceat, regat, & adiuuet, ut noſtra ſtudia, conſilia, & actiones, ipſi gratæ, & Eccleſiæ Dei ac nobis ſalutares ſint, ut ipſum in omni æternitate celebremus.

DIXI.

DEFI-

DEFINITIONES, BREVE CORPVS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ complectentes, de quibus pro licentia accipiendi gradum Doctorum Theologiæ responderunt.

I. M. LVCAS BACKMEISTERVS.

1. Vnica & sola in genere humano extat uera THEOLOGIA, quæ est doctrina de DEO, per filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, & Prophetas ac Apostolos Ecclesiæ patefacta: docens nos, de uera Dei agnitione & inuocatione: de creatione omnium rerum, angelorum & hominum: de Lege Dei, de peccato, de remissione peccatorum seu iustitia propter filium Dei credentibus gratis donanda, de bonis operibus, de pœnitentia, de Sacramentis, de Ecclesia, de resurrectione corporum, & uita cum Deo æterna.

2. VERA DEI AGNITIO seu PIETAS & RELIGIO CHRISTIANA est essentiam & uoluntatem ueri Dei conditoris cœli & terræ, qui est unicus & solus æternus Pater, & filius ipsius Domi-

mus noster Iesus Christus, & Spiritus sanctus, patefactum in lege & Euangelio, recte agnoscere: & præluceute uero timore Dei ac fide statuente Deum propter Christum nobis propicium esse, obedire omnibus mandatis Dei, ut ipsum honore afficiamus, & hunc unum uerum esse Deum testemur, cui hanc obedientiam præstamus.

3. DEVS est essentia spiritualis, æterna, omnipotens, uerax, iusta, misericors, liberrima, in qua tres sunt distinctæ personæ, ὁμοούσιοι καὶ συναΐδιοι. Pater Domini nostri Iesu Christi, filius λόγος & imago Patris, & Spiritus Sanctus. Quæ diuinitas condidit & seruat Cœlum & Terram, & Angelos ac Homines: & suam essentiam ac uoluntatem patefecit certo uerbo, per quod æternam sibi Ecclesiam ex genere humano colligit, cui suam bonitatem & sapientiam ac seipsam communicet, & quæ uicissim ipsum, iuxta illud uerbum agnoscat, inuocet, colat, & in omni æternitate celebret.

4. PATER ÆTERNVS est prima persona diuinitatis, habens essentiam & uitam a se ipso, & communicans suam essentiam Filio imagini suæ, ex se genitæ, & Spiritui sancto ex se procedenti: Quæ in Baptismo Christi se patefecit, & a Filio discreuit hac uoce, Hic est Filius meus dilectus,

ctus, quo delector: Hunc audite, & una cum Filio & Spiritu sancto omnes res alias condidit, & conseruat: & Filium ac Spiritum sanctum ad Ecclesiam mittit, & per eorum ministerium efficax est, ad salutem omni credenti.

5. FILIVS DEI DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, est secunda persona diuinitatis, non creata ex nihilo, sed ab æterno genita ex Patre, substantialis & integra imago Patris, per quem Pater omnes res condidit, & Euangelion immediate patefecit. Qui filius mirando Diuinitatis consilio constitutus Mediator & Redemptor, humanam naturam ex uirgine Maria assumptam, personali unione sibi copulauit, & factus est uictima pro genere humano, & per eum, ac propter eum donatur nobis ab æterno Patre remißio peccatorum & salus æterna.

6. SPIRITVS SANCTVS, est tertia persona diuinitatis, procedens à PATRE & FILIO, & utriq; ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος: Quæ in prima creatione fouit & uiuificauit omnes res nascentes, & postea omnibus temporibus mittitur, ut Ministerium docendi in Ecclesia gubernet, & per Euangelium corda piorum regeneret et sanctificet, hoc est, nouam lucem ueræ agnitionis Dei,

ueram consolationem in omnibus ærumnis, ueram iustitiam, uitam & lætitiam in eis accendat.

7. CREATIO omnium rerum, est actio Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti, qua ante annos 5526. liberrima uoluntate, pulcherrimum hoc theatrum cœli et terræ ac totius Naturæ rerum, uisibilium omnium & inuisibilium, ex nihilo condidit, & miranda arte & sapientia distribuit, & ornauit, ut esset Schola sapientiæ, bonitatis, præsentiæ & omnipotentiæ Dei: in qua Angeli & Homines Deum conditorem agnoscerent & celebrarent, & uicissim Dei sapientia & bonitate perpetuo fruerentur.

8. ANGELI sunt essentiæ spirituales, creatæ à Deo ad imagnem ipsius, quæ non sunt pars alterius speciei, ut animæ hominum: & sunt immortales, ordinati à Deo, ut ipsum celebrent, & sint ministri Ecclesiæ, & custodes piorum.

9. DIABOLI sunt essentiæ spirituales, initio creatæ ad imagnem Dei, hoc est, intelligentes, ueraces, iustæ & liberæ: sed libera uoluntate à Deo deficientes, facti sunt hostes Dei, & genus humanum à Deo auulsum in peccatum & mortem præcipitarunt, et ad omnis generis peccata & calamitates quotidie impellunt. Quam tyrannidem mirando consilio permittit Deus, & reprimit, usq; ad extremum iudicium, in quo Diabolos omnes una cum hominibus impijs in æternos cruciatus abijciet.

Homo

10. HOMO est substantia creata à Deo, habens corpus & animam rationalem, conditam ad imaginem Dei, ut Deum agnoscat, & celebret.

11. ANIMA RATIONALIS est essentia spiritualis, intelligens, & libera, quæ est altera pars hominis, & post mortem corporis manet superstes.

12. IMAGO DEI, ad quam Angeli & homines conditi sunt, fuit mens illustrata uera agnitione Dei, & sapientia discernente recta & praua, & uoluntas liberrimo arbitrio expetens & probans recta & iusta, seu cum norma sapientiæ in mente lucentis congruentia. Quæ imago erat domicilium Dei, in quo ipse Deus habitans uitam sine morte daturus erat, si Deum rectorem Angeli & Homines peccatis suis non excussissent.

13. Fuit enim LIBERVM ARBITRIVM in omnibus Angelis et hominibus ante lapsum, facultas mentis et uoluntatis, qua potuerant Angeli & Homines, essentiam & uoluntatem Dei conditoris, sine ulla caligine & errore agnoscere, & iustitiam ac sanctitatem uera, in qua conditi erant, iuuante Deo, retinere, & sponte ac serio ea, quæ ad salutem æternam pertinebant, expetere atq; efficere, & Deo perfectè obedire, uel sponte & sine ulla coactione à Deo deficere & peccare.

 in homine post lapsum, est facultas, qua mens hominis, bona & mala ciuilia, item artes mechanicas & liberales, & alias res humanæ rationis iudicio subiectas, aliquo modo intelligere, discere ac iudicare, & uoluntas sine coactione eadem eligere aut expetere, uel auersari & fugere potest, uel suspendere electionem, & imperare externis membris, ut suscipiant actiones cum iudicio mentis aut sensus congruentes uel non congruentes.

15. *Sed in rebus spiritualibus, ut in primo motu conuersionis ad* Deum *seu regenerationis sui ipsius, & prima scintilla fidei in Christum accendenda,* LIBERVM *seu potius* SERVVM & PECCATO *captiuum & mortuum hominis* ARBITRIVM, *est naturalis impotentia seu defectus & prauitas mentis & uoluntatis, secuta lapsum* ADÆ, *& nobiscum nascens: qua mens cœca & tenebris peccati oppressa nec essentiam nec uoluntatem* DEI *recte agnoscere, nec uiam æternæ salutis sua acie cernere potest: & uoluntas ac appetitiones cordis auersæ, & aduersæ* Deo, *nec se ipsas proprijs uiribus ad* DEVM *conuertere & in Christum credere, & cultus* Deo *placentes præstare, nec quicquam aliud quam peccare possunt, nisi per gratiam Christi liberatæ & conuersæ fuerint.*

natis ex Aqua & Spiritu, est facultas, qua mens & uoluntas liberata & renouata, & adiuta per Spiritum sanctum, suo etiam conatu & diligentia, non modo externos mores honeste regere & externa scelera uitare, uerum etiam interiores & spirituales animi motus, ut ueram agnitionem Dei, inuocationem, patientiam &c. excitare, fouere & augere, & uitiosis inclinationibus resistere uel indulgere, & rursum à Deo deficere, & fidem ac Spiritum sanctum per peccata contra conscientiam excutere potest.

17. PECCATVM in genere est priuatio iustitiæ, seu ἀνομία pugnans cum norma sapientiæ & iustitiæ diuinæ in Lege Dei patefacta: Cuius ἀνομίας prima causa est liberum arbitrium diaboli & primorum hominum, qui sua sponte & libere, Deo nec cogente nec uolente, se à Deo auerterunt, & iram Dei ac mortem æternam sibi ac omnibus posteris attraxerunt.

18. PECCATVM ORIGINALE est deprauatio ac corruptio naturæ humanæ, propagata ex lapsu ADÆ, quam omnes homines à prima origine seu natiuitate secum adferunt, uidelicet defectus ueræ & illustris notitiæ Dei, & uacuitas ueri timoris DEI & ardentis fidei ac dilectionis DEI

& cæterarum uirtutum. Item, uitiosæ inclinationes ad securitatem carnalem, ad dubitationes, diffidentiam & omnis generis uitiosas cupiditates: propter quas omnes homines ex uirili semine nati, rei sunt iræ Dei & æternarum pœnarum, nisi à Spiritu sancto per Baptismum & uerbum Dei regenerentur.

19. PECCATA actualia sunt non tantum externa facta, ut cædes, adulteria, furta, &c. uerum etiam interiores, mentis, uoluntatis, & cordis actiones cum Lege Dei pugnantes: ut falsæ opiniones de Deo & assiduæ dubitationes in mente, diffidentia, securitas, superbia in uoluntate, & uitiosæ flammæ iracundiæ, odiorum, amorum, cupiditatis uindictæ in corde, etiamsi in externa scelera non erumpant.

20. PECCATA CONTRA CONSCIENTIAM sunt actiones interiores uel exteriores, quibus scientes & uolentes contra Legem Dei delinquimus.

II. M. VVOLGANGVS PERISTERVS.

21. Est autem LEX DEI, æterna & immota sapientia & regula iustitiæ in Deo, flagitans ut natura rationalis huic normæ congruat, & denuncians horrendam iram Dei & æternas pœnas omnibus peccatis cum hac norma sapientiæ & iustitiæ pugnantibus:

Quæ

Quæ & in prima creatione mentibus hominũ à Deo insita, & deinceps in monte Sinai & alibi repetita est, ut doceat Quod sit, & Qualis sit Deus, & quales nos esse, quæ facere, quæ omittere oporteat: promittens bona præstantibus perfectam obedientiam: et damnans ac destruens omnes non obedientes, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Christum mediatorem.

22. IVSTITIA LEGIS est uel perfecta omnium uirium obedientia seu congruentia erga Legem Dei expers omnis peccati & labis, qualis post lapsum in nullo homine, solo Christo excepto, extitit: uel est qualiscunq; obedientia uoluntatis & externorum membrorum, præstans externa opera, quæ Lex Dei flagitat: & nunquam satis facit Legi.

23. EVANGELION est lætissimus nunci⁹ de Christo Saluatore, qui sua obedientia, passione & morte, Legi Dei pro nobis satisfecit, & remissionem peccatorum, & uitam æternam gratis promittit & donat omnibus in ipsum credentibus.

24. Credere in Christum, seu FIDES Christiana, quæ sola coram Deo iustificat, est primum recte agnoscere personam & beneficia Christi, quod uidelicet sit uere & natura Deus, & saluator promissus, qui solus iram Dei aduersus nostra peccata placet, & iusticiam ac uitam æternam restituat: Deinde firmo

assensu amplecti totam doctrinam à Christo nobis traditam, & in hac promissionem gratuitæ reconciliationis propter Christum donandæ: Tertio firmiter statuere peccata sibi remitti, se Deo placere, recipi & exaudiri, & uitam æternam certo consequi propter solum Christum mediatorem, gratis, non propter nostram dignitatem: nec dubitationibus, uel diffidentia, uel Tyrannorum furoribus, aut morte ipsa frangi, ut hanc salutis fiduciam in Christo fixam abijciat.

25. IVSTITIA EIDEI, qua homo peccator in iudicio Dei consistit & iustificatur, est remissio peccatorum seu obedientia & meritum Christi, gratuita Dei misericordia, propter filium propiciatorem, per fidem, nobis imputata.

26. Necessario autem fidem iustificantem sequuntur in reconciliatis BONA OPERA, seu CVLTVS DEI, qui sunt non tantum externæ actiones, uerumetiam interior uoluntatis & cordis obedientia erga præcepta Dei, quæ fit præluente uera agnitione Christi, & fide, propter hunc finem, ut Deus honore afficiatur & celebretur.

27. Semper tamen in iustificatis etiam & sanctis, una cum bonis operibus coniuncta manent PECCATA VENIALIA, quæ sunt defectus, uel inclinationes, uel affectus pugnantes cum lege Dei. in

iustifi-

iustificato, cui retinenti fidem, & repugnanti prauis affectibus spiritu, reatus remittitur.

28. MORTALIA PECCATA in lapsis qui antea fuerunt renati, sunt delicta, quæ fiunt à scientibus & uolentibus, propter quæ homo amittit gratiam, & fit reus iræ Dei, & æternæ mortis, nisi rursus per pœnitentiam ad DEVM conuertatur.

29. PECCATVM in SPIRITVM SANCTVM, est in Epicureo contemptu Dei: uel odio Pharisaico, affirmante doctrinam & opera, quæ à Spiritu sancto facta esse certo apparet, à Diabolo orta esse: uel in desperatione adimente Deo laudem misericordiæ & gratiæ exuberantis supra peccatum: perseuerantem, sine pœnitentia ex hac uita discedere.

30. POENITENTIA est dolor animi expauescentis agnitione iræ Dei aduersus sua peccata, & serio deflentis admissa peccata: Et est fide confugere ad misericordiam Dei propter Christum promissam, & certo statuere sibi propter Christum peccata uere remitti, & prælucente hac fide deinceps non amplius contra conscientiam peccare, sed omnia uitæ consilia & actiones ita regere, ut cum uoluntate & uerbo Dei congruant.

Sigilla

31. Sigilla autem iusticiæ fidei & exercitia pœnitentiæ ac bonorũ operũ sunt SACRAMENTA, Baptismi, clauium, & cœnæ Domini, quæ sunt ceremoniæ sacræ, constantes promissione Euangelij & administratione elementorum, à Deo institutæ, ut sint signa promissionis gratiæ, fidem utentium confirmantia, & Ecclesiam ab alijs gentibus discernant.

32. BAPTISMVS est ceremonia à Deo instituta, continens mersionem infantis uel adulti in aquam, et pronunciationem uerborum, Ego Baptiso te in nomine Patris & filij & Spiritus sancti: Quibus uerbis minister testatur, baptisatum à uero Deo, qui est æternus pater, & filius pro nobis passus ac resuscitatus, & Spiritus sanctus, in gratiam receptum et à peccatis ablutum esse. Ideoq; uicissim obligari baptizatum, ut hunc unum, solum, uerum Deum, Patrem, filium, & Spiritum sanctum agnoscat, inuocet, colat & celebret, sicut se in suo uerbo agnosci & coli præcepit.

33. CLAVES REGNI COELORVM sunt potestas à Christo instituta annunciandi remissionem peccatorum agentibus pœnitentiam, & ligandi ac excommunicandi securè & contumaciter in suis peccatis perseuerantes.

34. COENA dominì est ceremonia à Christo instituta, in qua distribuitur & accipitur panis, qui est

uerum

uerum corpus Christi pro nobis traditum, & uinum, quod est uerus sanguis Christi pro nobis effusus: ut his preciosissimis pignoribus gratiæ Dei acceptis, singuli promissionem remissionis peccatorum sibi applicent, & fidem confirment, & arctissima communione eiusdem carnis & sanguinis cum Christo copulentur, & ardenti gratiarum actione pro beneficijs Christi & omnibus officijs dilectionis proximo præstandis commonefiant.

35. Errant igitur, qui dicunt, Cœnam domini esse SACRIFICIVM, quod est ceremonia uel opus nostrũ, quod nos Deo offerimus, ut tribuamus ei honorẽ diuinitatis proprium, hoc est, ut testemur hunc uere esse Deum, cui obedientiam præstamus.

36. SACRIFICIVM propiciatorium est opus quod placat iram Dei aduersus peccatum, & reddit Deum propicium, & meretur alijs remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam. Tale est non ceremonia Missæ, sed unicum summi Sacerdotis Christi sacrificium semel in ara crucis oblatum.

37. SACERDOTIVM CHRISTI, est officiũ docendi Euangelium à se ex arcano sinu patris prolatum, & intercedendi ac deprecandi pro toto genere humano in peccatum & mortem lapso, & offerendi sacrificium, uidelicet se ipsum, quo toti Ecclesiæ remissionem peccatorum, iusticiam & salutem æternam meretur.

Sacer-

38. SACERDOTIVM commune omnium Christianorum, est officium discendi & docendi suo loco Euangelion, & orandi pro se & alijs, & offerendi sacrificia, quæ Deus præcipit.

39. SACRIFICIA LAVDIS seu εὐχαριστικά sunt omnia bona opera piorum, in toto Decalogo, & præcipuè in secundo præcepto mandata, quæ fiunt prælucente fide in Christum, hoc fine, ut Deus honore afficiatur. Talia sacrificia sunt, Glorificatio seu laudes Dei, prædicatio Euangelij, Inuocatio, Gratiarum actio, patientia in afflictionibus, Confessio &c.

40. LAVS & GLORIFICATIO Dei est tribuere Deo gloriam uirtutum omnium & honorem debitum, hoc est, uero corde, & externa uoce, & totius uitæ obedientia, agnoscere & profiteri, quod uere sit DEVS sapiens, omnipotens, sanctus, uerax, iustus & misericors, æternus Pater, filius, & Spiritus sanctus puniens omnes impios, & recipiens, exaudiens ac salute æterna donans omnes ad filium mediatorem confugientes. Et prælucente hac agnitione & fide, uero corde Deum timere, diligere, inuocare, ei confidere, gratias agere & obedire iuxta uerbum ab ipso traditum.

41. VERA INVOCATIO DEI, est prælucente uera agnitione & fiducia Christi mediatoris

tris, petere à uero deo, patre domini nostri Iesu Christi, bona spiritualia & corporalia, iuxta ipsius promissiones: & certo statuere se Deo curæ esse, & ab eo tanquam patre philostorgo preces nostras propter filium intercessorem exaudiri, & nobis salutaria tribui. Ideoq; uicissim Deum omni gratitudinis & obedientiæ officio celebrare.

42. GRATIARVM ACTIO est mente & uoce agnoscere & profiteri, nõ casu nobis bona offerri, nec nostra sapientia et industria tantum parari, sed quod Deus uerè nos curet, exaudiat, iuuet, & omnia bona spiritualia & corporalia tribuat: et propterea uero corde se ei subijcere, & hæc beneficia Dei clara uoce et hymnis ac laudibus pijs, et totâ uitæ obedientia celebrare, ut et Deo gloria afficiatur, et plures homines ad ueram agnitionẽ et inuocationẽ Dei inuitentur.

43. PATIENTIA est crucem et ærumnas, quæ omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu comitãtur, moderate et placide ferre, et reuerenter se uolũtati Dei subijcere, et fide statuere Deum sibi propitium esse, et petere ac expectare auxilium Dei, et hac fide et spe dolorem lenire, et pacem ac Letitiam in corde sentire.

44. PRÆDICATIO Euangelij est ueram de Dei essentia et uolũtate doctrinam in uerbo dei patefactam, uel in ministerio publico uel alibi pro suo loco et uocatione, fideliter et pure docere, et ueræ sententiæ corruptelas dextre et constanter refutare.

Confessio

45. CONFESSIO est ueram Euangelij doctrinam cõstanter coram Deo & hominibus profiteri, & propter hanc professionem perferre contemptum, odia, inopiam, supplicia &c. nec frangi his malis, ut ministerium Euangelij deseras uel ueræ doctrinæ professionem abijcias.

46. MINISTERIVM EVANGELII seu sacerdotiũ publicũ, est officium, à Deo institutum, prædicandi & confitendi in publico Ecclesiæ cœtu uerbum Dei, & legitime administrandi Sacramenta, annunciandi remissionem peccatorum seu absoluendi agentes pœnitentiam, & excommunicandi contumaces, & ordinandi Ecclesiæ ministros.

47. ORDINATIO SACERDOTIVM seu ministrorũ in genere est ritus, quo coram tota Ecclesia publicũ testimonium datur certæ personæ, quod legitime uocata, & idonea sit ad docendum Euangelion, & administranda sacramenta.

48. ECCLESIA DEI est cœtus hominũ, qui Euangelion Christi amplectuntur, & Deum recte agnoscunt, inuocant & colunt, sicut se in suo uerbo agnosci & coli præcepit, qui propter Christum Deo placent, & per Spiritum sanctum reguntur, & sanctificantur ad uitam æternam.

49. PRÆDESTINATIO seu Electio est æternum decretum Dei de colligenda Ecclesia ex toto genere humano

humano, per prædicationem Euangelij, ex misericordia propter filium: cuius Ecclesiæ membra sunt singuli, qui Euangelion Christi fide amplectuntur, & in hac fide usq; ad finem uitæ perseuerant.

III. M. IOSIAS RICHIVS.

50. Hospitia Ecclesiæ in his terris militantis, sunt POLITIÆ, & IMPERIA, quæ sunt cœtus hominum, certis legibus & ordine consociati, in quibus legitimi magistratus, per certas Leges, iudicia & arma, regunt subditorum mores, & suum cuiq; tribuunt ac defendunt, & scelera puniunt, ac tuentur pacem, ut in cœtu & frequentia hominum doceri & propagari uera de Deo doctrina, & colligi Deo æterna ecclesia possit.

51. MAGISTRATVS POLITICVS est potestas à Deo ordinata, et gladio armata, ut sit custos & executor Legis Dei, quam uult Deus generis humani rectricem esse: & tueatur pacem: & sit nutricius ac defensor Ecclesiæ dei & scholarum, in quibus literæ & artes Ecclesiæ & Reipublicæ necessariæ propagentur.

52. CONIVGIVM est seminarium Ecclesiæ & Politiarum: seu est legitima & indissolubilis societas unius maris, & unius fœminæ, instituta & sanci-

cita diuinitus, ut casto Deo in castitate seruiamus, ac ut certa lege & ordine genus humanum conseruetur et propagetur, ut ex eo æterna Ecclesia Deo colligatur.

53. LIBERTAS CHRISTIANA non est licentia faciendi quidquid libet, aut immunitas ab oneribus & officijs Magistratui debitis: sed est liberatio á peccato, ab ira dei, à maledictione Legis, à morte æterna, & á ceremonijs & legibus forensibus Mosi, & à ritibus Adiaphoris extra casum scandali.

54. ADIAPHORA sunt ceremoniæ seu actiones externæ incurrentes in oculos, quæ in uerbo Dei nec præceptæ, nec prohibitæ, sed ab hominibus, in Ecclesia boni ordinis & disciplinæ causa institutæ sunt: Quas pro ratione circumstantiarum, locorũ, temporum, personarum &c. liberum est Ecclesiæ, seruare, omittere, recipere uel abolere: ita tamen ne cum opinione iustitiæ, cultus, necessitatis, uel cum offensione & scandalo infirmorum fiant uel omittantur.

55. SCANDALVM datum est uel falsa doctrina uel factum externum incurrens in aliorum oculos uel aures, quod gloriæ Dei & aliorum hominum saluti nocet, uel quia seducit alios, uel in dubitationem adducit pios, uel impios confirmat, uel aliorum peccatorum occasionem præbet.

Mors

65. MORS PIORVM *est transitus ex huius uitæ miseriis in æternam uitam & beatam consuetudinem Dei & Ecclesiæ cœlestis. Nam animæ piorum ex hac uita discedentium non euanescunt, nec intereunt, sed Dei conspectu & consuetudine in trãquilla pace & gaudio fruuntur, donec completo numero saluandorum, redeant in domicilia corporum suorum, & perfecta beatitudine & gloria una cum corporibus ornentur.*

57. RESVSCITATIO MORTVORVM *est actio Dei externa, qua Deus, extrema mundi die, uerbo suo omnipotenti, omnium hominum mortuorum corpora in uitam reuocabit, & rursum animabus suis coniunget, ut uel pœnas scelerum æternas cum diabolis sustineant, uel pietatis & rectæ factorum premia in cœlis æterna percipiant.*

58. EXTREMVM IVDICIVM *certo secuturum est, in quo filius Dei dominus noster Iesus Christus, in forma naturæ humanæ à se assumptæ, omnes homines, pios & impios, ex morte resuscitatos, ante tribunal suum adducet, & impios ac damnatos una cum Diabolis in æternum ignem abijciet, pios uero & electos in regnum cœlorum ante mundi conditionem ipsis paratum transferet.*

59. MORS IMPIORVM ÆTERNA *erit horribilis pauor, anxietas, fuga,*

fuga, fremitus & indignatio aduersus Deum, & de acerbissimi morsus & cruciatus conscientiæ sentientis iram Dei & horribiles pœnas suorum peccatorum, et supplicia corporum in ignibus uiuentium inustione sine combustione, dolore sine extractione.

60. VITA PIORVM ÆTERNA, erit conspectus Dei, quo Ecclesia piorum ex morte resuscitata & prorsus ab omni peccato liberata, coram intuebitur essentiam & uoluntatem totius diuinitatis, æterni patris, filij & Spiritus sancti, & noua ac perpetua luce, sapientia, iustitia, uita, lætitia & gloria æterna, à Deo, qui erit omnia in omnibus, complebitur, & uicissim Deum celebrabit.

AMEN.

PRO-

PROPOSITIONES, DE SENtentia: Non ueni soluere Legem, sed implere: ad quas pro gradu Baccalaureorum respondérunt.

I. NICOLAVS LINDEBERGIVS.

1. LEX DEI, quæ usitate Lex Moralis, & DECALOGVS nominatur, est æterna & immota sapientia & uoluntas dei, sanciens perpetuum & immutabile discrimen recti & praui: patefacta Hominibus in prima creatione, & postea in monte Sina & alibi uoce dei repetita, & declarata: obligans omnes homines, ut cum hac norma rectitudinis, omnium mentes, uoluntates, consilia & actiones perfecte congruant: & accusans, damnans, & horribiliter puniens omnes non conformes.

2. Vt igitur sapientia et uoluntas dei, seu deus ipse aboleri & tolli non potest: ita Lex, quæ est æterna & immota sapientia & norma iustitiæ in ipso deo,

præcipiens recta & iusta, & prohibens contraria: abrogari & deleri nequit.

3. Ideo enim patefacta & tradita est generi humano LEX DEI, non modo transfusis in mentes hominum diuinæ huius sapientiæ radijs, uerumetiam expressa uoce & testimonijs diuinis: ut agnoscamus Quod sit, & Qualis sit ipse Deus, uidelicet sapiens, iustus, uolens recta & iusta, & iudex ac uindex scelerum: & Quales nos homines esse debeamus, uidelicet conformes huic normæ bonitatis & rectitudinis in ipso lucentis.

4. Præcipuè uero, ut esset perpetua & immutabilis norma iudicij diuini aduersus peccatum in hac corrupta hominum natura hærens: quod Deus uoce Legis ostendit, accusat, & damnat, & horribiliter irascitur ac destruit æternis pœnis omnes homines peccato pollutos, qui per filium Dei non liberantur.

5. Hæc sententia iudicij diuini aduersus peccata ut palam extaret & exaudiretur in toto genere humano: Deus eam sua uoce anno Mundi 2453. in monte Sinai, inter horrendos fragores & flammas fulgurum ac fulminum repetuit: quæ significarunt, Lege dei horrenda tonitrua & fulmina iræ diuinæ aduersus hominum peccata uibrari: & deum sonantem uoce Legis, esse ignem consumentem,

Vindicibus flammis sibi qui contraria delet
Ipseq; iusticiæ regula sola manet. Itaq;

6. Itaq; & horrendæ pœnæ peccatorum, quas lex seu iusta uoluntas dei nobis imponit, in tota uita testantur, Legem & iudicium dei aduersus peccata, non esse abolitum, sed manere ratam legem, & deum esse custodem Legis, & pœnas exequi.

7. Etsi enim Deus propter Christum credenti peccata remittit & personam recipit ac iustam pronunciat: Tamen propterea non approbat peccatum sed horribili ira damnat ac punit: Idq; etiam in hominibus sanctis, uera contritione seu pœnitentia, & cruce & morte corporis destrui uult & aboleri.

8. Quare Christus ipse, etiam si non est Legislator, tamen Legem dei repetit & declarat, Quia uult in Ecclesia agnosci peccatum & iram dei Lege denũciatam: & quia magnitudo misericordiæ & beneficij Christi & remissio peccatorum intelligi non potest, nisi aliquo modo intelligatur peccatum.

9: Per Legem autem cognitio peccati. Rom. 3.

10. Itaq; non tantum docuit & illustrauit Legem filius Dei, uerum etiam immutabilem & æternam, & nullo modo ex Ecclesia tollendam esse ostendit, his uerbis, Non ueni soluere Legem, sed implere. Amen dico uobis, donec transeat cœlum & terra, iota unũ, uel apex unus, non transibit de Lege, donec omnia fiant .s. me Christo implente.

11. Implet autem Christus LEGEM dei, primũ quia perfecte est talis, & præstat talem obedientiam, qualem Lex dei flagitat.

12. Nullus enim in toto genere humano perfecte obediuit & conformis fuit Legi dei sine omni peccato & labe, nisi solus filius dei dominus noster IESVS Christus.

13. Deinde, cum omnis Lex obliget, uel ad obedientiam uel ad pœnam: Christus satisfacit Legi pro nobis, deriuando in se & patiendo pœnam omnium peccatorum humanorum, quam nos iusticiæ dei, iuxta ordinem Legis æternum, debebamus.

14. Norma enim Iusticiæ diuinæ perpetua & immutabilis est, ut creatura rationalis obediat deo, uel non obediens æternis pœnis destruatur.

15. Hinc raciocinabatur conscientia Adami post lapsum: Ego non obediui deo, sed horribili ingratitudine uiolaui mandatum dei. Ergo certissime & immutabiliter abijciar in æternam damnationem.

16. Cum igitur omnibus Angelis & hominibus hoc argumentum insolubile esset: Filius dei immensa misericordia pro genere humano interceßit, ac ut iusticiæ & Legi dei æternæ satisfieret, semetipsum obtulit ad obedientiam & sufficientem pœnam, pro genere humano sustinendam.

Quare

17. Quare mirando iustitiæ & misericordiæ tẽperamento factũ est in arcano consilio diuinitatis decretum de redemptione generis humani hoc modo faciendã, ut filius dei naturam humanam assumeret, & iustissimam iram Dei, maledictionem Legis, & pœnas, quas nos meriti eramus, pro nobis sustineret, & iustitiam ac uitam æternam nobis promereretur.

18. Cum enim genus humanum sua inobedientia Legem Dei uiolasset, ordo iustitiæ flagitabat, ut Homo pœnam Legi debitam sustineret.

19. Ac nisi massa naturæ humanæ à filio Dei assumpta sustentaretur, plane interijsset hominum natura, sicut corpus non sustentatum ab anima interit & in nihilum redigitur.

20. Deinde, ut precium & pœna sufficiens pro peccatis hominum persolueretur, oportuit Redemptorem nostrum etiam Deum esse.

III. HERMANNVS CRISPINVS.

21. Nec tantum pœnam pro peccatis persolui, sed etiam tale ἀντίμαγμα Deo reddi oportuit, ut Gratia exuberaret supra peccatum: ne tantum à maledictione Legis & pœnis æternis absolueremur, uerum etiam nouam iustitiam & uitam æternam recuperaremus.

22. Nec ulla creatura, quæ non fuisset Immanuel, potuisset sustinere iram dei & maledictionem Legis, & uincere peccatum ac mortem: Sed solus filius Dei dominus noster Iesus Christus, ἐξηγόρασε, hoc est, persoluto pro nobis precio, nos redemit & liberauit à maledictione Legis, factus pro nobis maledictum, Gala. 3.

23. Non igitur dubium est, ueram, seriam, ingentem & inenarrabilem esse iram dei aduersus peccatum: & maximam causam fuisse, propter quam filius dei homo & uictima factus sit.

24. Sed, proh dolor, nimis secura & stupida sunt hominum pectora, ut nec peccati aut iræ dei, nec misericordiæ aut beneficiorum filij Dei magnitudinem attente considerent: imo plurimi homines ne quidem cogitatione & cura aliqua tantarum rerum afficiantur.

25. Etsi autem sancti etiam in hac uita non satis intelligere hoc mirandum consilium Redemptionis possunt: & erit hæc sapientia æternæ Academiæ propria: tamen uult deus eam in hac uita inchoari.

26. Ideoq; inde usq; ab initio Mundi, sacrificia et mactationes Agnorum instituit, ut essent typi seu concionnes de sacrificio & morte uictimæ Christi, quæ sola, iustissimæ iræ & Legi dei satisfecit, & omnium hominum peccata expiauit.

Implet

27. Implet igitur Christus etiam Leges Ceremoniales, quia ipse fit uictima pro peccato, quæ Ceremonijs & Sacrificijs Legis Mosaicæ significata erat.

28. Quarto, Implet Legem Imputatione donata nobis iustitia seu impletione Legis à se præstita, perinde ac si nos Legi dei integre satis feciſſemus.

29. Quinto, Inchoatione seu restitutione Legis in nobis, in quos Spiritum sanctum suum infundit, ut naturam renouet, & obedientiam ac conformitatem cum Lege dei in hac uita inchoet: & in uita æterna perficiat.

30. Nam in uita æterna perfecte implebitur Lex, etiam in nobis, & prorsus tales erimus, quales Lex dei flagitat.

IIII. IOACHIMVS MYLIVS.

31. Sexto: Sancit Christus & confirmat Legem docendo et enarrando ueram ac genuinam sententiam Legis, detersis erroribus et falsis interpretationibus Hypocritarum, qui fingunt Legi dei satisfieri externa disciplina, et hanc mereri remissionem peccatorum et esse iusticiam coram deo, et meritum uitæ æternæ.

Nam

32. Nam Lex Dei, non tantum externam disciplinam seu qualemcunq; obedientiam externorum membrorum & Philosophicam moderationem affectuum & cupiditatum, à nobis postulat: uerumetiam interiorem & perfectam mentis, uoluntatis, cordis, et omnium uirium & actionum obedientiam & conformitatem, expertem omnis peccati & labis, flagitat.

33. Etsi autem externam obedientiam seu disciplinam, proprijs uiribus, aliquomodo præstare homines possunt: & de hac ciuili iusticia uerum est, quod Philosophi dicunt, ἐφ' ἡμῖν εἶναι, seu in nostra potestate situm esse, ut boni uel mali simus:

34. Tamen integram et perfectam cordis obedientiam et conformitatem cum Lege, nemo hominum, etiam renatorum, in hac uita, habere potest.

35. Ideo nemo hominum in hac uita per obedientiam suam erga legem coram Deo iustificatur.

36. Nec obedientia nostra erga legem est iustitia, qua in hac uita Deo placemus et accepti sumus.

37. Impie igitur errant, qui patres seruantes Legem naturæ, Iudæos facientes Legem Moysi, Christianos suæ Legis obseruantia saluatos esse contendunt.

38. Non est enim aliud nomen sub cœlo, in quo oportet nos saluos fieri, præter nomen domini IESV: nec est in alio quoquam salus.

Credimus

39. Credimus autem nos per gratiam domini nostri Iesu Christi saluari, sicut et Patres saluati sunt.

40. Hæc est iustitia, sine Lege, in Euangelio patefacta, quod est promissio remissionis peccatorum, reconciliationis cum Deo, et iustitiæ ac salutis æternæ, propter Christum, pro nobis passum et resuscitatum, gratis, per fidem donandæ.

V. ALEXIVS BVRGARDI.

41. Fides est personam et beneficia Christi, et omnes articulos doctrinæ nobis à Deo traditæ, recte nosse, et firmo assensu amplecti: et certo statuere nos per solam gratiam domini nostri Iesu Christi saluari.

42. Hæc fides in Christum, non abolet Legem Dei, sed potius stabilit et confirmat. Rom. 3.

43. Primum enim Fide agnoscimus et amplectimur Christum uictimam tollentem peccata mundi, Quem Typi et sacrificia Legis Mosaicæ significarunt. Ita Fides stabilit Legem etiam Ceremonialem, quanquam per Apostolos abrogata est, quia non inanem & falsam umbram, sed ueram et cum euentu congruentem significationem et picturam Sacrificij et Regni Christi fuisse ostendit.

44. Ita Fide stabilimus etiam Legem Moralem, quia Fide accipimus remissionem peccatorum et imputatio-

putationem iustitiæ Christi ac uitam æternam, perinde ac si nos integre Legi satisfeciſſemus. Ita fides ſtabilit Legem, quia agnoſcit Legem denunciantem iram dei et æternam damnationem omnibus non conformibus Legi, non eſſe inane murmur, ſed oportuiſſe pœnam à Lege ſanctam perſolui, et huius pœnæ perſolutionem à Chriſto factam, nobis donari.

45. III. Fide accipimus Spiritum ſanctum, quo adiuuante, ueram et interiorem obedientiam, quam Lex flagitat, inchoare et perficere poſſumus.

46. IIII. Fide propter Chriſtum placet deo noſtra inchoata obedientia, et ſi nondum perfecte congruit cum norma Legis, et multis tetris ſordibus peccatorum contaminata eſt.

47. V. Fide reconciliati accipient in æterna uita integram iuſticiam ſeu conformitatem, quam lex flagitat.

48. VI. Stabilitur Lex per fidem, Quia tribuit deo laudem ueritatis et iuſtitiæ, quod iuſte iudicet et damnet nos propter peccatum, quodq; ante dei oculos nil niſi culpa ſimus.

49. Etſi autem Chriſtus non uenit ſoluere Legem ſed implere: et Lex per fidem ſtabilitur: tamen nihilominus ueræ ſunt hæ propoſitiones, Iuſto non eſt Lex poſita: Non eſtis ſub Lege ſed ſub gratia: Fide iuſtificamur ſine operibus Legis etc. Quas ſen-

tentias

tentias Pauli, in ipsa disputatione copiosius declarabimus. Et hæc omnia, quæ hactenus diximus, de Lege dei æterna seu Morali, intelligenda sunt.

50. Leges uero Ceremoniales & forenses Moysi per Christum prorsus abrogatæ et una cum Politia abolitæ sunt.

FINIS.

ROSTOCHII

Stephanus Myliander excudebat.

M. D. LXIIII.

me uenire, quoniam talium est rega
dicto affirmat filius Dei, ad infan
e hæreditatem pertinere. Postre
illa, Dei, angelorum, atq; piorũ
us castis angelis, pijs patribus et
itatis, tempore resurrectionis
bus, facie ad faciem conspicie
Videte ne offendatis unum ex
eorũ, semper uident faciem
est. Hoc cœlũ dicitur cœlũ
cœlos seu sphæras planeta
sum etiam primummobi
nostræ ætatis eruditis,
ælorum Domini est, ter
n. In hoc coelum Chri
ibi coram ab Ecclesia
interea tamen Eccle
iter, usq; ad seculi
Sedere in sa
ostendit, seu regis
aut gubernatoris
iam exercere atq;
exequi. Esa. 9. Sup
edebit, quod di
ctum Angelus Matt
onit. Hic erit
magn⁹ & filius alt
abit illi Domi
nus Deus sedem Dau
bitq; super do
mum